DISSERTATIONEM IVRIDICAM
DE

CONFIRMATIONE PACTORVM,

Von gültiger Bestätigung derer Verträge und Contracten in Reichs, Lehn und Bürgerlichen Fällen.

PRAESIDE
VIRO CELEBERRIMO,
GEORGIO SCHVBARTO,
IVR. VTR. DOCT. HIST. ET ELOQ. PROF. P. O.
IN ACADEMIA SALANA,
DIE VI. MARTII, A. CIↃIↃCXCVI.
HABVIT
FRIDEMANNVS POSNERVS,
IENENSIS.






IENAE,
REC. LITTERIS IO. BERNH. HELLERI, 1749.



I. N. D. N. I. C.

*isponere hominem de rebus ſuis, vel inter vivos, vel ultima voluntate, legibus docemur, & uſu quotidiano. Quamvis autem ſuprema voluntas hac in parte liberior eſſe videatur, quia pendet ab unius arbitratu: pacta tamen & conventiones privatorum frequentantur magis. Præterquam enim quod multi ex hac vita migrant inteſtati, nemo contra erit inter cives, quin facultate ſibi paciſcendi contrahendive data utatur, aut ſi non pactum celebret majus ac ſolenne, in emendo ſaltem, vendendo, mutuo, commodato, ac ſimilibus negotiis aliis paciſcatur. In hiſce ſingulis vero cum differat parum, non legitime paciſci, & non paciſci, providi & circumſpecti eſſe debemus, ne fruſtra quid agamus.*

Hac enim est contractuum indoles, ut neque per leges civiles omnis circumscriptio, ab illis excludatur l.16. §.4. ff. de minor. *jungatur Dn. Kulpis*, de circumventione in contractibus licita. *Postquam igitur constat, ex hoc fine pacta nonnulla partis necessaria instar confirmationem requirere superiorum, mecum constitui, præsentem DE CONFIRMATIONE PACTORUM tractationem in cathedra non adeo tritam, licet communem in judiciis, suscipere atque ingenii vires circa illam periclitari. Impulit me præterea non tam mos in academiis receptus, post emensa systemata, edendi quoddam specimen, quam recordatio parentum, ac sangvine propinquorum, quibus ita honesti & liberalis otii mei rationem posse reddi judicabam: ne jam prolixius allegem in variis locis statutum, de nullo in forum admittendo, nisi prius vel scripto, vel in alio doctorum congressu, satis dignum sese exhibuerit. B. Ziegleru*s ad tit. 3. ordin. elector. Saxon. de processu judic. *Animo sic obfirmato me ad hoc argumentum paravi explicandum. DEUS modo exorandus est, in ipso limine, ut me confirmet in tramite justitiæ, meque contra obtrectatorum & malignorum studia conservet. Ita vero procedam inoffenso pede, ac pro viribus à Deo concessis singula rectius expediam.*

CAPUT

CAPUT I.

DE ORIGINE CONFIRMATIONIS EIUS VARIA SIGNIFICATIONE AC DESCRIPTIONE.

I.



Famosa res est, circa vocum origines hærere in principio. Excusatius forte agunt, qui Doctorum excellentium auctoritate heic utuntur. Modestinus Pistor. *conf. XL.n.52.vol.2.* ex Baldo, Gozadino, & Alberto Bruno: *confirmatio*, inquit, *dicitur à* con *&* firmo, *quia simul firmat*, sive, ut ex Decio tradit Zangerus, *ad cap. 1. X. de confirm. util. & inut.* confirmatio *non est actus, per se stans, sed quasi cum alio firmatio.* Quid autem vult, nisi quod *confirmatio* sit ex relativis vocabulis, quorum plena est schola jurisconsultorum? quæ nec est, nec intelligi usquam potest, nisi supponatur id, ad quod confirmandum accedit. Practici ita enunciant: *ubi non est confirmabile, ibi non est confirmatio.* Vultejus *conf. XVI. n. 395. vol. 4.* ad vim & originem vocis simul respicit: *verbum*

bum confirmo *etiam nullo alio expresso, de sui natura importat, ut de infirmo faciat firmum*, in speciali potissimum confirmatione, de qua deinceps. Ratione temporis confirmatio simul fieri censetur, *arg. l. 2. C. de testam. tut.*

II. Apud juris Romani conditores *confirmari* dicuntur multa negotia, ut majus robur adipiscantur. Sic. *l. 130. ff. de V. S.* hereditates testamentariæ confirmantur lege antiqua tabularum. Sic alibi libertates, institutiones ac legata confirmari dicuntur: sic integris titulis agitur in jure, *de confirmando tutore & curatore.* In specie *pactum* dicitur *lege confirmari*, quod lege vel senatus consulto adjuvatur, *l. 6. ff. de pact.* Qui jurisprudentiam ab initio revocarunt ad certos terminos, *pactum* à lege confirmatum dixerunt *legitimum*, item *vestitum*, atque opposuerunt *pacto nudo*, sive quod à nulla lege adjuvatur, neque jus actionis producit, welches in Rechten so eigentlich weder gegründet, noch bestätiget ist. Galuanus addatur *c. XVI. de usufructu in pr.* Circa *vestitum* notari meretur, quod exteri pariter ac nostri, minus recte vocem intellexerint, de *veste*, quasi ea *pactum* sit *indutum*, & hinc adpelletur *vestitum*. Præter alios est prolixus Mantica *lib. XXIV. lucubr. Vatican.* ali-

quos

quot titulis diversa explicans vestimenta, quibus nuda confirmari pacta queant. Sed dubium est nullum, quin *vestitum* pactum vocetur, è lingva patria, ein fester, oder befestigter Vertrag. Id quod Grotius, in glossis, ad scriptores Gothicos, & cum illo Ferrarius docet, *in originibus lingvæ Italicæ, p. 179.* Vestire *non Latino significatu debet accipi, sed Germanico* festen, *confirmare, id est, jus alicujus solenniter affirmare, ut sine vitio possessionem adipisci possit.* Unde in curiis, als wird obbesagter Vergleich hiermit confirmiret und bekräfftiget, dergestalt und also, daß beederseits Paciscenten selbigen in allen seinen Puncten steiff, fest und unverbrüchlich halten &c. Quod de pacto vestito, idem de pacto geminato Doctores affirmant. Borcholten. *cons. VI. p. m. 65.* die geminatio oder triplicatio actus, concessionis, transactionis, hebet auf suspicionem fraudis ac simulationis, giebet Macht und Krafft demjenigen, so sonsten unkräfftig und von keiner Würckung ist. Relator apud Uffenbachium in votis aulicis: *actus geminatio majorem animi deliberationem, & voluntatem, majorem semper inducit firmitatem, ut sic actui geminato nihil possit opponi. p. 47. & sequ.* Sainsonius inde ad consvetudines Turonenses, *tit.*

24. art.

24. art. 6. per vulgata docet, *quod pactum geminatum, non aliter quam vestitum pariat actionem.* Addatur Harpprecht. *conf. XX. n. 113. seqq. tom. 1.*

III. Confirmationis alia significatio superest apud melioris notæ scriptores, qui eam usurpant pro *implemento*, aut *perfectione.* Tullius ita *2. de orat.* cum ego hunc oratorem, quem nunc fingo, *abluero* & *confirmavero*, tradam eum Crasso & vestiendum & ornandum. Plura habet Giphanius, *in observat. ad Lat. lingv. p. 42.* Doctores ecclesiæ pontificiæ hoc prope sensu *confirmationem* in sacris frequentant, vulgo die Firmirung, quando homini baptizato per eam velut augmentum & robur accedere statuunt: non aliter ac si perfici & absolvi debeat baptismus per confirmationem. Speidelius *in Spec. voc.* Firmiren. Ranzovius, sive potius Lucas Holstenius, in epistola ad Calixtum, *qua sui ad catholicam ecclesiam accessus rationes exponit, p. 36. seqq.* Dn. Schilterus *II. instit. canon. tit. 2. n. 32.* Alia species confirmationis, in personis rite vocatis & electis est, quoties ordinari & consecrari prius nequeunt, quam sint *confirmatæ*, sive *investitæ*, quo de actu conferatur idem *IV. de lib. eccles. cap. 5. n. 24.* ubi simul docet, penes quem in ecclesia sit jus confirmandi. Addatur

tur *1. Instit. can. tit. 7. §. 11.* Quia tamen *confirmationes* tales plerumque fiebant litteris, sive instrumentis, hoc fine datis, ad probationem compertiorem, ideo passim *confirmatoria* occurrunt, quibus consensus principis, ac robur plenum continetur. Cothmann. *respons. LXVIII. num. 45. vol. 2.* Ab hisce differunt litteræ, quæ priorem confirmant principis declarationem, ad petitionem vel aliam quamcunque propositionem factam, quas in curiis adpellant *inbasiv-* oder *confirmativ-* Schreiben, sicut ex formula patet: Wie wir es denn hierbey allerdings bewenden lassen, und nunmehro dieser Sachen unverlängt gerne geholffen wissen mögten. Item: Alß lassen wir es bey der an euch dießfalß ergangenen Verordnung nochmahlen bewenden, und sehen nicht, wie Euer Gegenbescheid wieder angezogenen Vortrag bestehen könne. Ne heic de juramento *conformatorio* plura dicamus, ubique obvia.

IV. Inter æquipollentia refertur *adprobatio*, *consensus*, *ratificatio*, Einwilligung, Gunst und Erlaubung: quæ singula in se considerata non prorsus cum nostra confirmatione conveniunt. Scriptores mediæ ætatis, quando de *confirmatione* & subscriptione *testium* agunt, quos hinc simplici-

ter

ter adpellant *confirmatores* nonnulli, ferè adhibent verbum, *laudantibus* vel *collaudantibus* his illisve. Ditmarus in fine *lib. 2. Chron. Merseb.* Helmoldus *1. Slavicarum cap. 27.* ubi tamen *laudare* nisi fallor idem est ac *suffragari, testificari*, aut manu sua confirmare. Alciatus inde *laudum*, arbitri sententiam, ac decretum derivat *1. parerg. iuris c. 45.* *Adprobatio* in genere non adeo differt à confirmatione; sed prope inter privatos fieri solet, sicut ex praxi constat. Hartmannus Pistor. *part. 2. qu. 49. n. 24. & 36.* ex adprobationis effectu concludit: *qui consensu suo probat unum in testamento articulum, reliquos pariter confirmasse putatur.* Addatur Mollerus *1. Semestr. cap. 22. n. 2.* Richter. *part. IV. cons. 21. n. 7. seqq.* ubi dogma: quod quis adprobavit semel, id postmodum reprobare nequit, ex *l. 4. C. de repud. vel abstin. hered.* unde nihil aliud discimus, quam regulam agere de adprobatione privatorum: ex adverso confirmatio requirit auctoritatem superiorum. Ejusdem naturæ censetur esse *ratificatio*, licet à multis Doctoribus cum confirmatione jungatur ita, quasi non differat. Menochius *cons. DCLVIII. num. 8.* in caussa renunciationis: *confirmatio atque ratificatio actus non extendit illum ad id, quod eo non continetur.* Adparet statim

tim per sequentia, privatos inter se egisse, quia minor fecerat renunciationem. Hæc vero confirmatur, si major factus ultra quinquennium tacuerit. Neque aliter Schraderus confirmationem & ratificationem paciscentium conjungit *part. X. feudal. sect. 10. n. 42.* exclusa superioris auctoritate: qui interdum ratihabere solet, non tamen sine discrimine. Modestinus Pistoris *cons. XXXVIII. n. 2.* Zwischen diesen Worten, verneuren, confirmiren, bestätigen, ratificiren, annehmen und bewilligen, ist ein Unterschied: denn confirmiren, und bestätigen, gehöret proprie einem Oberherrn zu, aber annehmen, und sich gefallen lassen, kan von einem jedweden gesagt werden: quorsum non male refertur, vulgare illud seine Sache vollziehen. Gonzalez. inde *ad cap. 2. X. de confirm. utili §. 4.* ratificationem ait improprie accipi pro confirmatione. In consensu, quatenus requiritur ab eo, qui propter immobilia, & onera bonorum, rescire pacta, & consentire debet. Carpzovius *part. 2. const. 22. def. 1. & 6.* Neque enim aliunde firmum jus creditor in illis adquirit. Saxo legislator *tit. 46. process. judic.* unbewegliche Erb-Güter sollen vor Gerichten, darunter Sie gelegen, verpfändet, oder Gunst darüber ausgebracht wer-

 den,

den, sonst ist die Verpfändung nicht kräfftig, ubi propter jus reale, & hinc ortam prælationem, conferatur B. Zieglerus. De consensu principis, qui cum confirmatione pari ambulat passu, Pekius *c. 27. de amortizatione. add.* Menochius *III. præsumt. 44. p. 399.* Decretum, itemque mandatum, huc quoque referunt. Sed prius in confirmatione speciali admittimus, immo necessarium esse ducimus: posterius non sufficere putamus, nisi à superiore, & jus confirmationis habente, originem suam repetat.

V. Ad sensa mentis dignoscenda propius jam describenda foret confirmatio, ut pateret magis, quænam acceptio vocis huc inprimis quadraret. Verum communis quidem vox est confirmatio, sed diversæ sunt ejusdem species, quæ una generali descriptione exhauriri nequeunt. Non puto, ignotam esse regulam sapientum, quod omnis descriptio certum quid, & indubitatum complecti debeat. At si describere quis vellet confirmationem in genere, nihil certi aut indubitati, quod ad reliquas attineret species, proferre posset. Hæc & ratio statuitur vulgati illius: *omnis definitio in jure est periculosa.* Zeidlerus *ad 1. poster. anal. cap. 10. n. 3.* Satis igitur erit, si ordine describatur

tur confirmatio, pro varia illius divisione. Ita quippe luculentum evadet, quid de singulis habendum sit membris. Universalis est divisio, quod altera sit *generalis*, altera *specialis* confirmatio. Illa dicitur alias *pura*, item *simplex* atque *communis*, à Doctoribus. Sic Menochius *conf. DI. n. 43.* confirmatio, *inquit, in forma communi operatur nihil.* Explicatior est Mandellus *conf. IV. n. 22.* confirmationes *simpliciter ac generaliter factæ*, sine speciali caussæ cognitione, quæ solent dici *confirmationes in forma communi*, non convalidant actum. Eadem doctrina est reliquorum. Stukius *consil. I. n. 158.* illam describit ita: *confirmatio*, nempe generalis, *est declaratio confirmantis, quæ nihil facit novi juris*, in confirmato. Ratio, cur nihil operetur, aut novi juris tribuat ex Mandello patet: quia nulla requiritur in generali confirmatione pacti cognitio, & sic nullum sequitur decretum, per quod majus robur accipiat. In *l. fin. C. de LL.* talis caussa dicitur *examinata cognitionaliter*, quam si decernit, tunc illud decretum principis valet pro lege, & omnino plus operatur, quam si non cognita, vel examinata fuisset. Tabor. *in collat. juris Romani & Francof. tit. 2. & §. 10.* De hac confirmatione valet, quod Jurisconsulti vulgo tradunt:

 confir-

confirmare minus eſt, quam de novo dare, ſive renovare: item, *in confirmante non plus eſt, quam in confirmato.* Thomingius *conſ. XXXIV. n. 11. vol. 1.* Aliter ſe res habet in *ſpeciali confirmatione*, ſive quæ *ex certa ſcientia* dare & concedere videtur. Gutierez. *III. quæſtionum practic. qu. 17. n. 4. pag. m. 108.* Giurba *obſervat. XVI. n. 40.* Ubicunque igitur à confirmante additur: *ex certa ſcientia*, ibi confirmatio eſt ſpecialis, ac vocatur plerumque *confirmatio de certa ſcientia.* Joſ. Seſſe *deciſ. XVI. n. 2. tom. 1.* immo & cauſſæ cognitio in illa eſt neceſſaria. Beſoldus *conſ. XCIII. n. 24. item conſ. CLI. n. 151.* Si quis igitur dignoſcere velit cum cura, qualis intelligatur confirmatio, quoties ea occurrit, ſine connexa hac clauſula, debet præterea obſervare, an inſtrumento ſit inſertus tenor confirmati. Thomingius hoc notat, *conſ. XXII, n. 57. vol. 1.* confirmatio ex certa ſcientia tunc fit, *quando ſpecialis fit mentio confirmati, ita quidem ut ſeries ejus confirmationi inſeratur. Add.* Stukius *l. c. num. 269.* in verbis antecedentibus: quæ confirmatio exhibet *tenorem confirmati*, item quæ facta eſt cum clauſula, *de plenitudine poteſtatis*, illa ſpecialis eſt, atque corroborat non ſolum reſpectu confirmationis, ſed etiam procedit extenſive, & operatur ſupra

pra

pra confirmatum. Prukmannus *conf. XVIII. num. 123. seqq.* hanc & similes clausulas, in confirmationibus explicat: in quantum scilicet majorem in confirmatione, vel minorem habent efficaciam. Neque facit huc quidquam, an verbum, *confirmamus*, præcedat tenorem pacti aut transactionis, an sequatur, *arg. cap. Venerabilis* X. *de confirm. utili & inut.* ubi tamen notat Zangerus, ex stylo curiæ Romanæ, *quod confirmatio præcedat, tenor sequatur. n. 5.* Propter vim itaque majorem, in confirmatione speciali, & quod actum per se nullum convalidet, Doctores concludunt, *eam dare aliquid.* Cephalus *conf. CCCCXIV. n. 52.* Menochius *conf. DCCX. n. 8. 19. it. DCCCXV. n. 100.* immo specialiter confirmantem, *facere ipsum.* Petrus Wesenbecius *conf. III. n. 115.*

VI. Præter generalem ac specialem, alia superest confirmatio, quæ in *tacitam* & *expressam* distribuitur. *Illa* nec verba, nec scripturam admittit, sed ex silentio confirmationem superioris, & adprobationem demonstrat. Wesenbecius *in paratitlis ad ff. de donat. inter vir. & uxor. §. 5. & ibid.* Bachovius. Mevius *conf. CVIII. n. 14.* Quoties enim pactum, aut alia conventio licita principi, aut ilii, qui jus confirmandi habet, insinuatur, nec ille repu-

repugnat conventioni, per silentium hoc tacite videtur confirmasse. Mascardi *concl. CCCCXVI. n. 2. seqq. de probat.* Idem de ratificatione tacita monet laudatus Mevius *cons. XXXI. n. 14.* Lässet sich es ansehen, als wenn der von Schwerin seiner Frau Mutter Contract ratificiret, und zwar, wenn es nicht expresse geschehen, dennoch per lapsum quinquennii. *arg. l. fin. C. si maj. fact. alien. sin. decreto.* Addatur Schraderus *part. X. feudal. sect. 20. n. 41. 42.* per dogma juris: quicunque non opponit exceptiones, item excusationes, intra certum tempus à lege præfinitum, ex lapsu temporis fatali deinceps, non aliter, quam ex confirmatione expresse facta obligatur. Item: *taciturnitas sæpe operatur idem, quod consensus expressus*, ac vim habet pacti. *l. 40. ff. de pactis.* Franciscus Marcus *quæst. MXLIV. n. 3. decis. Delphin.* distingvit inter casum magni præjudicii, ac modici: in illo non semper taciturnitatem nocere ait, bene tamen in casu altero. Sartorius *apud Brunnemannum, cons. penult. n. 278. it. n. 319.* Wissenbach. *disp. XII. ad ff. §. 2.* Confirmatio *expressa* est actus superioris, quo scriptura aut verbis corroboratur aliquid vel generaliter, sine cognitione caussæ, sicut modo diximus, vel specialiter cum cognitione, aut ex certa

scien-

ſcientia: quare in hoc non ſufficit confirmatio præſumta, propter conſenſum apertum. Heigius *part. 2. quæſt. XIX. n. 33.* Quando igitur quæritur, in confirmatione facta, quid illa operetur in liquidis & expreſſis, nihil poteſt admitti præter expreſſa. Hinc vulgata: *confirmatio non poteſt ultra procedere, aut effectum habere, quam revera eſt.* Item: *confirmatio non pertinet ad ea quæ non ſunt expreſſa.* Brunnemannus *conſ. CXXXI. n. 14. ſequ.* Major enim ſemper virtus eſt illius, quod eſt expreſſum, quam illius quod eſt tacitum. Klokius *conſ. XXIX. n. 235. vol. 1.* In formula ſolent variare confirmantes, qui vel propria, vel aliorum, ſive inferiorum pacta conſenſu expreſſo adprobant, confirmantve. In actis *ſucceſſionis Veldentinæ ac Lutzelſteiniæ pag. 141.* beſtätigen, ratificiren, und confirmiren unſere mehr angeregte Geding, Pacta, Verziecht, von Worten zu Worten, ſie ſtehen gleich Anfangs, in Mittel oder Ende, keines ausgenommen, jetzt als dann, und dann als jetzt, hiermit ausdrücklich, nahmhafftig, in und mit Krafft dieſes Brieſes ꝛc.

VII. Dubium ex his reſtat, de conſenſu domini impetrato, ſuper certo alienationis pacto, aut contractu, an tacitam includat confirmationem?

 Per

Per exemplum: Primus Secundo pecuniam mutuo dat: ad securitatem vero crediti ille paciscitur cum isto, de sufficienti hypotheca, quæ species pacti est. Borcholten. *cap. 1. de pactis n. 10.* Ille existimat, sibi cautum esse satis, ubi principalis contractus fuerit confirmatus à domino: qui in præsenti casu est contractus mutui. A domino itaque petit, instrumentum obligationis, quod est de pecunia mutuo data, ut confirmatione sua adprobet, eique inserit clausulam, de hypotheca constituta, daß dem Gläubiger für die 15000. Rthlr. das Lehn-Gut Kirtzenbach dafür zum kräfftigstem Unterpfand stehen solle. Pro affirmantium parte facit, quod nimirum consensus tacitam involvat confirmationem: quia secundum Iserniæ doctrinam ad *1. Feud. 3. qui successores teneantur, n. 8. p. m. 48.* consensus æquiparatur confirmationi: deinde quia consensus, super principali contractu datus, videtur extendi civiliter posse ad singula, quæ continentur in negotio principali. De praxi in aula electorali Saxonica testes habemus Mollerum *1. Semestr. cap. IV. n. 10.* Rauchbarum *part. 1. quæst. VI. n. 55.* Verum generale est Doctorum effatum: consensus adhibitus ad unum effectum, non debet operari alium, *arg. l. 21. C. ad SC. Vellejan.* Hartman-

mannus Pistor. *part. 1. quæst.* XV. *num. 48.* Ratio hujus dogmatis in præsenti est, quia dominus, in contractum mutui consentiens, non statim, ac tacite quidem confirmat hypothecam. Fieret enim hoc summo cum ejus præjudicio. Similis est casus, de consensu domini, super alienatione feudi, quasi venditor ob pretium non solutum, habeat confirmatam in feudo hypothecam, ex solo consensu dato, licet confirmatio expressa non accesserit. Carpzovius *lib. IV. resp.* XXVIII. nec dominus feudo aperto possit illud retrahere. Heigius *part. 2. qu.* XX. *n. 45.* quod tamen pugnat porro cum regula: *consensus est stricti juris, neque ultra casum, verbis expressum, producitur*, secundum tradita à Rosenthalio *cap.* IX. *Synops. feud. conclus.* XXXIII. *p. m. 77.* Alii sic enunciant: *verba nihil operantur ultra intentionem paciscentium.* Et sic neque dominus consensu suo tacite confirmat, quæ in mente ejus nunquam fuerunt. Meichsnerus *tom. 3. decis.* XIII. *n. 327.* Aliud foret, si non tantum contractus, sed & præter illum, hypotheca fuisset simul, & quidem diserte confirmata, per clausulam: mit Consens des Lehen-Herrens verhypothecirt: item si consensum petens super pacto addiderit clausulam: daß Seine Durchl. den

 Ver-

Vertrag in allen Puncten und Clausuln gnädigst zu confirmiren geruhen wollten. Dn. Schilterus *exerc.* XXXIII. *ad ff.* §. *16.* Sic enim expressa, non tacita esset confirmatio. Jungatur idem *ad cap.* XCVIII. *Comment. Feudal. Alem.* §. *5. p. 374.* Carpzovius ad rationes dubitandi respondet *l. c. resp.* XXIX. inprimis ad praxin, quæ olim apud Dresdenses in hoc casu obtinuit.

VIII. Post confirmationem tacitam & expressam, alia deprehenditur in jure divisio, quatenus vel *pura* est, vel *limitata.* Illam vocant nonnulli doctores confirmationem *simplicem*, & à generali parum differre ajunt: hanc vero *conditionatam*, *restrictivam*, à clausularum varietate. Neque enim de natura correlatorum alia potest esse confirmatio, quam qualis est conventio, & pactum, cujus nomine illa fieri debet. Ponamus, pactum, aut contractum sine omni conditione, ac limitatione celebrari: huc si accedit confirmatio, tunc pura & simplex erit. Interim negari debet minime, quin adpetentium ac paciscentium rogationem, sæpius confirmatio limitata negotiis impertiri soleat: immo & superior interdum non rogatus limitativam clausulam addit. Pro sententia priore facit commune Jurisconsultorum dogma:

dogma: confirmatio id, ad quod confirmandum adhibetur, non mutat aut imminuit, augetve, sed negotio, quale illud in se est, robur duntaxat firmius addit. Cothmann. *responso XXI. n. 186. vol. 3.* Hoc autem, de studiis paciscentium, declaratur ibidem, ex pacto, circa dotalitium facto quondam, in domo Pomeraniæ ducum, quod Imperator confirmaverat, cum clausula juris reservatoria, *in quantum de jure*, so viel in Rechten zuläßig. Atqui clausulam hanc involvere limitationem, demonstrat Marta *part. 1. de claus. n 149. pag. m. 131.* Alius est casus, huc pertinens: Irus vendidit pagum Miro, cum omnibus suis juribus, ac pertinentiis, insertis tamen instrumento alienationis, hisce verbis: Wie solche einem Ehrwürdigen Capitel zu St. Bartholomäi in N. von Alters hero zuständig gewesen. Sive jam generalis accedat confirmatio, sive specialis, plus non operatur, quam est inconfirmabili. Ratio ex antecedentibus petitur: quia conventiones ejusmodi pactitiæ, & in se limitatæ, non debent proferri extra limites jam positos. Fons hujus juris est in *l. 31. C. de transact.* Addatur Mevius *cons. I. n. 90.* Gœddeus cum Doctoribus aliis concludit: *limitatum pactum habet limitatam confirmationem*, nec ultra expressa ostenditur.

ditur. *conf. XXVII. n. 193. vol. 1.* De limitato & pactitio servitio, in contractu feudali, ejusque confirmatione, sive investitura, glossa videatur *ad princ. Mincuccii de feud. p. 8.* quem librum post tot Mauritii allegationes Dn. Schiltero debemus, non ita pridem ad communes usus editum. Si clausulam apertiorem quis desiderat reservatoriam, ac limitantem simul, eam describit Limnæus *tom. 2. addit. ad lib. III. I. P. cap. X. n. 27.* in privilegiis buccinatorum castrensium: Diese Puncten bestätiget Käys. Majest. doch mit dem Beding, daß solche Confirmation dem Chur-Fürsten zu Sachsen, und dessen Nachkommen, an seinem Recht und Gerechtigkeit, als der Feld-Trompeter Patron und Judici, unpræjudicirlich und ohne Schaden seye.. Ubicunque igitur nihil est in pactis, & conventionibus limitatum, restrictum, aut conditionatum, ibi pura regulariter & absoluta est confirmatio: ubi autem pactum est ita comparatum, ut facile hinc tertio præjudicetur, tunc vel à confirmante limitatio exprimitur, vel subintelligitur. Prukmannus *conf. I. n. 257. vol. 2.*

IX. Antequam progrediamur ad alia, breviter notabimus adhuc, quid pactorum nomine comprehendamus. Non ignota est quæstio: an

pactum

pactum includat contractum ? Illud quod legitimum est, sive à lege confirmatum, heic non attenditur: quia potius includitur à contractu, quam quod includat ipsum. Nec id male quis in contentionem hac ratione mitteret. Sicut accidens inexistit substantiæ, ita pactum inest contractui, tamque firmiter cum illo conjungitur, ut ei normam det ac legem, secundum vulgata. De pacto ergo quæritur, generaliter considerato, nullo prorsus habito respectu, ad conjunctionem & vinculum illud arctissimum. In tali sensu, qui affirmant, regulas philosophorum in oculis habent: genus includit speciem, deque ea semper ac naturaliter prædicatur, item, genus continet speciem, *species autem continetur*, vel *generis pars* est. Zeidlerus *lib. 2. anal. poster. cap. 14. §. 5.* Gajus consentit *l. 147. de R. I.* specialia semper *generalibus insunt.* Jam vero ex *l. 1. ff. de pact.* abunde notum est, ne plures textus cumulemus, quod pactum sit generalius, & ex negotiorum varietate ad contrahentes, ac transigentes referatur. Contra sunt, qui cum iisdem faciunt, & pactum à contractu non adeo secludunt, sed pro diversa pacti significatione. Si enim laxiori sensu accipitur, pro contractu quoque stabit, sicut passim in legibus locum ejus tuetur. Paulus

l. 27.

l.27.§.2.verf. idem dicemus eod. tit. pacto tribuit, quod re integra tollat contractum, item *quod pactum hoc proficiat ad novum contractum.* Quid quæso his verbis aliud voluit, quam *pactum tollens novum esse contractum?* Loca plura in hanc rem conduxit Vinnius *cap. 1. de pactis* §. *6.* ubi tamen ferri non debet, quando subjungit, Borcholten. conventionem, pactum, & contractum pro re eadem prorsus sumere. Id quod ex Borcholteni verbis *l.c.* manifeste refutatur, qui ne quidem concedere vult, quod in jure contractus usquam pro pacto accipiatur. Wissenbach. *part. 1. disp. IX. ad ff.* Quidquid hujus rei sit, nos discrimen inter pactum & contractum probe agnoscimus, nec ullam in jure confusionem admittere studemus: quia prior sententia ducitur ex alienis principiis, altera vero pro varia significatione tam firma per se esse non potest. Attamen quod major hodiernis moribus pacti vis sit atque effectus, in jure præsertim agendi, & sic proxime accedat ad naturam contractus: Sutholt. *differt. XII.* §. *56.* ideo non magis libidine confundendi, inerti doctorum vitio, quam studio explicatiora tradendi, pacta conjungemus subinde cum contractibus, in materia confirmationis. Borcholten. *conf. XV. tom. 2. p. 66.* sicut nec rarum est,

quod

quod contractus, pacta & confirmationes jungantur. Rosenkorb. *cap. LXXI. practicar. forens. n. 81.* Wehnerus *cons. Francon. XCIII. n. 3.* Fachinæus *lib. 1. controv. jur. cap. XI. per tot.*

CAPVT II.
DE HIS QVI PETVNT CONFIRMATIONEM.

I.

Non una est ratio petentium in hoc negotio: quia alii putant satis esse sibi prospectum, ubi conventio, aut pactum, magistratui duntaxat significetur competenti, qui hujus memoriam in actis conservet judicialibus. Vulgo adpellatur iste actus *insinuatio*, quæ interveniente actorum seu gestorum testificatione conficitur, *l. 25. §. fin.* itemque *l. 27. ff. de donat.* Ratio est, ne homines inconsulto ducti calore imprudenter circa res suas versentur, sive ut sic omnis suspicio fraudis atque deceptionis removeatur. Finkelthaus. *observ. CIII. n. 23.* Simoncellus in præfatione, *ad tractat. de decretis n. 124.* cum decreto judicis comparat, & bonam esse cautelam ait, propter hunc inprimis effe-

 ctum,

ctum, ut neuter paciscentium deinceps agere possit, ex læsione ultra justum pretium. De pacto renunciationis, ejusque insinuatione, per exemplum jungatur Giphanius, *cap. 2. de renunciat. p. 41.* Aliam caussam insinuationis declarat Mevius, *lib. III. ad Jus Lubec. tit. VI. art. 1.* quod per hanc firmior evadat conventio, magisque parata executionibus obligatio prodeat inde. Schilterus *exerc. XXX. ad ff. §. 42.* Judicis ac magistratus caussa fieri debere insinuationem, docet Lindenspuhr, ne bona debitorum, censuum & aliarum pensitationum nomine obnoxia, & tacite obligata, in præjudicium hujus graventur pignorum oneribus, *comment. ad ordinat. polit. VVirtemb. p. m. 68.* Nemo non intelligit, quin præcipua vis insinuationis in confirmatione quadam subsistat, quod hodie plerumque fieri consvevit in casibus pignoris contracti. Rauchbar. *lib. 1. qu. VI. n. 25.* Quando autem ita facta est insinuatio, apud judicem ordinarium, tunc alterius superioris adsensus non est requirendus amplius: quia petens consensum magistratus in tali passu, eum non propter auctoritatem, & solennitatem quandam, sed propter confirmationem pignoris desiderat. Zieglerus parens, *ad praxin Calvoli, §. Nobiles concl. I. n. 39.* Formula

mula

mula petitionis hæc est: Damit aber dieser Vertrag in allen seinen Puncten, und Clausuln, desto ståter, und vester gehalten werden mögte, so gelanget an den Herren Amtschösser unser allerseits bittliches Suchen, diesen Actum von Amts wegen gebührend zu registriren, zu confirmiren, und durch ein üblich Amts-Decret zu bekräfftigen. Stilerus aliam petendi formam, in simili casu exhibet, *parte II.* des Teutschen Advocatens *p.m. 680.* Ad petitionem fere sequitur hæc responsio: welches ich ihnen nach befundenen Umständen zu verweigern nicht gewust, confirmire dannenhero und bestätige sothanen Vertrag, soviel sich zu Rechten gebühret, und ich Amtswegen zu thun befugt bin, habe auch selbigen zu desto mehrerer Vergewisserung dem Amts-Buche einverleiben, und dem begehrenden Theil, unter meinem gewöhnlichem Petschafft, hiervon wahre Abschrifft zustellen lassen. Iohann. Gutierez. meminit libri publici, ad hunc finem comparati, in Hispaniæ judiciis, ne magistratus ignari maneant conventionum inter privatos, unde sæpius in collectis, atque censibus, magna confusio fuit orta, *lib. 2. quæst. pract. quæst. CLXIX. in pr.* addit, quod si intra terminum sex dierum insinuatio facta non fuerit, tales conventi-

ones ac pacta fidem non habeant, nec secundum ea judicari possit.

II. Ex allatis patet, quod per insinuationem vel sponte petant confirmationem paciscentes, vel necessitate quadam permoti. Hæc vocatur alias *confirmatio legalis*, consvetudinaria, item statutaria. Illa tanquam *voluntaria*, potissimum obtinet in mobilibus, hæc in bonis immobilibus, quia sunt majoris præjudicii. Neque enim facile erit in Germania nostra provincia, quæ non requirat ex statutis resignationem judicialem, circa immobilia: quia renuncians, sive ex pacto in alium resignans bona sua, facit ut accipiens per judicem confirmetur, sive investiatur, de re immobili, ad se justo titulo, justa ex caussa transeunte. Saxones obligantur *ex decisione novissima LXI.* Franzkius *lib. II. resol. XII.* Richter. *cap. 2. de iur. & privil. credit. membr. 1. n. 57.* in bonis emphyteuticis præsertim ac censiticis: B. Struvius *exerc. XXIII. Synt. civil. §. 108.* De aliis in patria civitatibus & regionibus testatur idem Lauterbachius, *ad part. 2. juris prov. VVurtenberg. tit. XIII. §. 20.* ubi notat differentiam, inter alienationem fundi, & inter reditus distrahendos. In fundi alienatione testatur sufficere apud Wurtenbergenses solam in judicio insinuatio-

nuationem: ad redituum vero ac debitorum venditionem, zu Auffnahm der Gülten, requiri insuper cognitionem judicis. Tempus insinuationis, in eodem Ducatu, quatuordecim statuitur dierum, omnibus conventionibus, ac pactionibus. Plebst. *disp. 2. n. 136. ad jus revisum VVurtenberg.* ut sic, ante hoc ipsum, omnis paciscentium conventio sit inanis atque imperfecta: postquam vero insinuatio ex præscripto facta est, nec partes huic renunciare possunt. Gailius *II. obs. XXXIX. n. 11.* Præter legem, aut statutum, de insinuatione, si forte non exstet, Besoldus consulit, non inutile fore, ut omnes contractus insinuentur, vel per decretum superioris confirmentur, *ad 2. part. juris VVirtemb.* §. *53.* Ratio est, quod ubi dubitetur, an quis possit agere, ad conventionem infringendam, pars confirmationem petens fiat securior. Neque favorabilior caussa potest allegari, quam quæ tendit ad lites imminuendas, citiusve terminandas, qua de præcipit eleganter Octavius Pisani, *in Lycurgo cap. VI.* ibidemque editor, *in exegesi num. 33.* *Melius facerent paciscentes, si coram magistratu cujusvis loci obligationes, æquis & honestis conditionibus confici curarent. Ita enim tot lites ac fallaciæ devitarentur, immo cessarent simul illæ prorsus, cum*

 tot

tot jurgiis inde provenientibus. Addatur Mevius *ad part. III. Jur. Lub. tit. IV. artic. I. n. 41.* von Einschreibung in das Stadt-Buch.

III. In Camera Imperiali non infrequens est confirmatio, & quidem duplex, altera justitiæ, gratiæ altera. Prior usurpatur in certis quibusdam, & legitimis actibus, e. gr. in adoptione, emancipatione, tutela, & similibus negotiis, jure civili permissis, non tamen omni ex parte perfectis, citra auctoritatem superioris. Sic in adoptione, per rescriptum principis, requiritur ante omnia libellus supplex, sive petitio adoptantis, ubi caussa debet exprimi, propter quam adoptare velit ille. Dn. Kulpis. *de adoptionib. principum.* §. *42.* Hæc si est justa, & post cognitionem à principe adprobatur, *confirmatio* dicitur *justitiæ.* Eadem recepta est in caussa tutelari, quæ justa non est, nisi confirmata ex jure novissimo. Tennagel. *class. II. de process. decer. cap. 23.* item *30.* Formulam petitionis, in tali casu, exhibet Gylmannus, in *supplicatione III. ad tomum IV. Symphor. parte 2.* Posterior hujus loci præsertim est, quoties nimirum contractus, pacta, & aliæ conventiones licitæ, confirmantur ad petitionem partium. De his prolixe, quod ad *judicium* Cæsaris *aulicum* attinet, Uffenbach. *c. XI,*

XI. Fiunt autem istæ *confirmationes* plerumque ad instantiam paciscentium, & *gratiæ* dicuntur fere, quod interdum proprio motu, sæpius sine cognitione caussæ fiant. Quoties autem opus est cognitione, illa cum voto refertur ad Imperatorem, & hinc expectatur decretum, sive confirmatio. Inter præcipuas gratiæ confirmationes, ab ipso tamen Cæsare præstandas, habetur contractus feudalis, cum suis pactis: qui per investituram solemnem in aula Imperatoria peragitur, cujus ritus atque ceremoniæ passim obveniunt, cum formulis petentium, ac supremæ potestatis confirmantis. Palatini electoris investituram describit Dn. Wagenseil. *cap. VI. de summis Imperii officialibus & suboffic. §. II. & seqq.* De integræ domus Saxonicæ investitura, admodum solenni, super principatu Hennebergensi, potiora dedit excerpta Dn. Strykius, *in appendice, ad examen Feudale.* Recentiores nonnullas ex actis proponit Uffenbachius *l. c. p. m. 113.* Conjungere voluimus Imperii tribunalia suprema, nulla confusionis libidine, quod non simus ignari, ex diversis juribus, inque diversis caussis, alterum præ altero, in jurisdictione sua, fundatum esse solum, in multis autem utrumque parem & concurrentem jurisdictionem

habere.

habere. Leopoldi *de Jurisdict. concurr. per tot.* Differentiam, inter confirmationem gratiæ & justitiæ, hanc solent assignare, quod illa non possit fieri, altera parte inter paciscentes invita, sive non consentiente, isthæc autem parte etiam invita procedat. Gylmannus *tom. III. Symphor. pag. m. 94.* Casus, in quo pars altera dissentit, hic est: Pomponius tutelam proximi agnati suscipere recusat, nec justam allegare caussam potest, hinc ad eum citatio decernitur, ad videndum se confirmari in tutorem vel curatorem. Contra si consentit is, qui petitur, ac pupillus immediate subest Imperio, citatione opus non est, sed confirmatione sola. Tennagel. *l.c. cap. 22.*

IV. Sicut autem ex præmissis adparet discrimen inter caussas, de quibus confirmatio præstatur, ita circa desideria petentium adhuc restant pauca expedienda, in eodem judicio, ne forte impingamus, & sententiam feramus: wie gebethen, also abgeschlagen. Quicunque enim falsa narrat, & petit ex illis, rescripto non juvatur, *l. 7. C. de divers. rescr.* item: mentitos in precibus nostro auxilio non dignamur. *Novell. CXXI. cap. 1.* Quamvis itaque nonnemo existimare posset, quasi hæc sententia tantum sit referenda, ad falsa & incongrua

narrata,

narrata, pro extrahendis processibus, illa tamen in negotio pariter confirmationis obtineat necesse est, propter jura simillima, circa informes & inordinatas petitiones. Blumius *cap. LXIV. n. 51.* Ad hasce autem evitandas, notandum inprimis, quod in petitione confirmationis, pactum ipsum confirmabile produci debeat. Hartmannus Hartmanni *II. observ. cap. 1. obs. 3.* Concepta ordinatio cameralis *Part. 1. tit. XXII. n. 10.* Die abschlägige Decreta soll man dermassen begreiffen, damit der Supplicant, woran der Mangel, etwas abnehmen und verstehen möge. Ratio est, quod confirmatio se habeat instar qualitatis, vel accidentis. Jam vero ubi non est subjectum, id est pactum confirmabile, ibi non est qualitas, sive confirmatio, quæ sine substantia existere nequit. Supra cum Doctoribus hoc ita protulimus: *confirmatio non est actus per se stans, sed cum alio.* Gailius *II. obs. 1. n. 15.* ex illo pronunciat: *non entis nulla sunt prædicata.* Ex hoc fluit porro, quod confirmationem petens debeat probare, quod confirmabile sit licitum, atque sic confirmatione dignum. Exemplo sit pactum ad morgenaticam, de quo Mylerus *in Gamolog. c. VI.* in casu præcipue successionis, cum liberis perfecti matrimonii. Deinde requiritur,

in

in ejusmodi confirmationibus, in quibus plurium consensus, ad idem placitum, manifestus esse debet, ut in actu confirmationis non tantum consentientes, verum & præsentes sint paciscentes. Ratio est in promtu iterum, quia quidquid à consensu partium pendet, id ex uno latere confirmatum non valet, sicut ex formula confirmationis liquido constat: Ist auf beeder Theil gerichtliche Bewilligung und Bitte, über den vorgebrachten Vertrag, gerichtlich Decret und Auctorität interponirt, und die gebethene Urkundt erkandt. Prukmannus *part. 1. consf. XXIX. n. 65.* qui idem tamen de tribunali Brandenburgensi electorali testatur, *vol. 2. consf. XVIII. n. 120.* quod ibi stylo curiæ non adversetur, confirmationes gratiæ ad unius partis instantiam concedere. Casus decisus pro hac sententia exstat, apud Martam *tom. IV. digestor. sub tit. confirm. cap. 2.* quod si duo concordiam faciant. Notandum est in præsenti casu, quod personæ ecclesiasticæ *pacta* malint adpellare *concordias*, quasi ex corde proficiscatur illarum consensus. At putidum est, ita concludere. Decet quidem concordia sacros homines, sed ex illa sæpius non instituunt actiones suas. Hinc & *concordare* in speciem accipitur apud eosdem pro *pacisci:* it. *concordata* sunt illis pu-

publica *pacta*, ne jam de vulgari sensu tricemur, *accord*iren, item vertragen, oder vereinigen. Ultimum in petitione confirmationis requisitum est, in Camera Imperiali, ut si quis velit supplicare pro confirmatione transactionis, renunciationis, aut contractus alterius, id facere non debeat extrajudicialiter: quia sic additur petitioni, abgeschlagen: sed in *Judicio* hoc petere tenetur, sive *audientia*, quæ passim in ordinatione camerali vocatur Gericht, propter cognitionem caussæ confirmabilis, quæ extra judicium fieri non potest, id est, neque in *senatu*, neque in *cancellaria*, neque *deputatorio*, in der Deputations-Stube. Immo licet *Senatus* præcipua sit judicii cameralis pars, tamen quod in eo peragitur, non judicialiter, sed extrajudicialiter fieri dicitur. Facile hinc dignoscuntur formulæ; Gericht und Audientz halten, gerichtliche Bewilligung und Bitte, gerichtlich Decret. Roding. *lib. II. pandect. camer. tit. IX. cap. singulari §. 38.* item *lib. III. tit. 2. §. 2. & seqq.* Blumius *tit. LIX. §. fin.* Dn. Lyncker. *cap. III. de gravam. extrajud. part. 2. §. X. n. 12. p. m. 103.*

V. Cum priore specie confirmationis, quæ ex petita & subsecuta insinuatione resultat, alia conjungitur quæstio, de magistratu jurisdictionali,

dem Gerichts-Herren, an ipse debitor factus, pactum hypothecæ vel pignoris, in proprio judicio possit insinuare, & sic quoque confirmare? ut nimirum ex pacto major accedat, in hypotheca creditori securitas. Mevius *part. III. ad Jus Lubec. tit.* IV. *art. 1. n. 58.* Qui negant, hisce nituntur argumentis. Confirmatio regulariter fieri debet à superiori: qui autem pactum confirmat proprium, neque superior est, neque inferior. Deinde nemo potest à seipso petere: quia hic actus per rectam rationem dirigitur ad alium. Immo positis hisce, sequeretur illud in jure absurdum, quod quis in propria caussa judex esse posset, si præcipue confirmatio fieri deberet specialis. Tandem nec securitas ex ista confirmatione speranda: quia qui debitor, ac simul judex, confirmatorve in propria caussa est, ille haud dubie sibi prospicit magis, quam alteri, sive non uni, sed pluribus eandem rem oppignorat, unde posteriores creditores periclitantur. Rauchbar. *part. I. quæst. XXIV.* Generaliter ex istis concludunt alii: *quæ contra jura sunt confirmata, non intelliguntur corroborata.* Alemannus *consult. VIII. in palæstra p. 676.* Verum qui affirmant, ac quæstionem decidunt, paucis utuntur rationibus, & quidem sequentibus: quod insinua-

ſinuatio hypothecæ, & illius confirmatio, ſit actus voluntariæ jurisdictionis, nec in ea præciſe requiratur, ut à judice petatur, in tribunali conſpicuo, ſed peragi etiam queat domi, à deambulante. Carpzovius *part. 2. conſtit. XXIII. def. 1.* Quam ſententiam inprimis admittimus, ſi confirmatio petatur generalis, ſive quæ cum nulla cauſſæ cognitione, ac majore indagine conjungitur: quamvis nec omnino negemus, quin per voluntariam quoque jurisdictionem cognitio quædam, & hinc judicialis confirmatio fieri poſſit. Lauterbachius *de jurisdict. volunt. §. 25. & 41.* Interim vero conſtat, quod actus voluntariæ jurisdictionis à judice in propria cauſſa expediantur, per allegata Philippi *ad deciſ. XXXVIII. obſ. 1. n. 18.* Deinde ſi majoris momenti negotia, quorſum pertinet quoque teſtamentifactio activa, dominus jurisdictionis in proprio judicio poteſt inſinuare, & confirmare, quanto magis pactum hypothecæ in allodialibus ſuis conſtituere, & actis judicii ſui inſerere poterit? maxime cum in actu inſinuationis reſpiciatur ad conſenſum immediati. Berlichius *part. 2. concluſ. XXIX. n. 66.* Tandem nec judex per hanc inſinuationem, & judicialem adprobationem, in propria cauſſa judex eſt: quia non ſolus ac per ſe confir-

 matio-

mationem hypothecæ impertitur, ſed coram aſſeſſoribus judicii. Quaudo enim quæritur, quænam ſit judiciàlis inſinuatio, & hanc ſecuta confirmatio? reſpondent omnes, quod ſit illa, quam partes in judicio rite petierunt, quæque à jurato ejus actuario, von einem tüchtigen und geſchickten Gerichts-Actuario, welcher zu denen Gerichten vereydet, auch ſonſten legaliter, und dem Proceß gemäß verfähret, actis publicis inſcripta eſt. *Deciſio Elect. Saxon. noviſſima XXXVIII.* Lauterbachius *l. c.* §. *47.* Sic utique cadit generalis concluſio, quod inſinuatio, & confirmatio hypothecæ ita facta, à domino nimirum jurisdictionis, inque proprio judicio, ſit facta contra jura & leges. Contrariam quidem ſententiam placuiſſe quondam ſenatui adpellationum, & ſcabinis Lipſienſibus, teſtatur Carpzovius *lib. IV. reſponſ. XXXI. num. 19.* ex variis rationibus; ſed Elector in deciſione allegata facultatis Lipſienſis opinionem confirmavit, per verba: Setzen demnach auſſer Zweiffel, daß ein Gerichts-Herr, oder andere Obrigkeit vor ihren itzt angezogener maſſen beſtellten Gerichten eine beſtändige Verpfändung ſeiner in ſeinem Gerichte gelegenen Güter aufrichten, und ſeinen Gläubiger dergeſtalt verſichern könne. Add. Dn. Schilt. *exerc.* XXXIII. §. *9.* VI.

VI. Inter eos, qui petere debent confirmationem pactorum, non incommode solent referri, qui habent jus & facultatem statuendi. Quamvis enim pacta & statuta sint admodum diversa, tamen conveniunt in eo, quod in collegiis de consensu illorum, quorum interest, ex pacto quasi fieri debeant. Hinc & argumentum, à pacto ad statutum, est validum. Mynsingerus *resp.* XIV. *n. 15.* Ratio est, quia quidquid fieri potest per pactum, illud quoque fieri potest per statutum. Betsius *cap.* IX. *de pactis illustrium p. m. n. 563.* Immo sicuti contractus pacto firmatur, ita pariter statutum, pacto vallatum, plus valet, quam statutum simplex. Brederodius *tit.* XXXIII. *cautel. 37. p. m. 817.* quare nec infrequens est, quod Doctores pacta & statuta, familiarum præcipue, conjungant, & promiscue usurpent. De statutis à principe non agimus in præsenti, quia qui statuit ex potestate independente, ille statuit cum auctoritate summa, ac simul confirmat: qui autem statuit ex potestate dependente, ille observare tenetur leges in Imperio universales. Strauchius *de Statutis à summo principe* §. *6.* neque statuendo semper confirmat. Hæc & ratio est, cur nonnulli petant confirmationem Imperialem. Ita Brunsvicensis recessus, zu Saltzdalum,

lum, *de anno 1597. n. 32.* meminit Cæsareæ confirmationis, der Fürstl. Braunschweigischen Hoff-Gerichts-Ordnung, quæ facta non esset nisi petitio præcessisset. Ita porro nobiles ac vasalli pro familia conservanda statuta certa, sive pacta conficiunt, ex quibus obligantur posteri, si confirmationem superioris petierint, atque sine vitio impetraverint. Reusnerus *lib.* III. *consf.* XXVII. *num. 53.* Gailius *lib. 2. obs.* CXXVII. *n. 5.* Hahnius *de jure rer. cap.* XII. B. Struvius *cap.* VII. *Syntagm. feudal. aphor.* X. *n. 11.* Vulgata est quæstio, de pactis ac statutis collegiorum, an confirmatio sit petenda superioris, ad illa corroboranda? Qui dubitandi rationes colligunt, ex *l. 2. §. fin. C. de constit. pec.* arguunt, non opus esse hac petitione, quod à lege communi firmenter satis. Thoming. *consf.* XXIV. *n. 4. tom. 1.* Deinde ajunt, utile quidem esse, non tamen necessarium, ut ejusmodi statuta confirmentur: sicut & de consvetudine id obtineat. Carpzovius *part. 2. constit. VI. def. 9.* Quæ de consvetudine miscentur, ea demonstrant nobis affirmativam esse tutiorem. Richterus pro hac in terminis concludit *decis.* LXXX. *n. fin.* Rationem ex eo ducere possumus, ne collegia quid per iniquitatem audeant, sicut fieri quotidie videmus, quod multa

in

in odium excogitentur aliorum. Memorabilis est textus *in Reform. Polit. de anno 1548. tit. XVIII. n. 2.* Requiritur autem confirmatio statutorum, & sic statuentibus petitio illius necessaria est, si contra vetera statuta confirmata, novum & contrarium introducere velint. Diez de Mena *quæstion. pract. XXI. n. 126. & sequ.*

VII. Circa statutum confirmatum, post petitionem legitime factam, notatur porro quæstio: an statutum, requirens pactorum confirmationem, ad petitionem quoque obliget nobiles & illustres personas? Videtur in tali statuto necessitatem confirmationis requiri, quia nostris moribus, ex pactis deliberatis, non aliter quam ex contractibus, jus actionis competit. Jam vero quod sint varia nimis, ac nomine pariter caussaque destituantur, *l. 7. §. 1. & 2. ff. de pact.* unde adversarius tam firmiter non potest agere, ad dandum aut faciendum: ideo superiores statuerunt in pactis, ut eorum peteretur confirmatio, ad successum meliorem, ac vim agendi in judicio, ne fides paciscentium vocetur in dubium, & negotia privatorum toties relinquantur inania. Si hæc propius considerantur, ex intentione statuti, procul dubio nobiles & illustres ad petitionem confirmationis in

pacto non adstringuntur. Præterquam enim quod fides nobilium & illustrium debet exuberare, sive in pactis & contractibus indubitata haberi, sæpius adhuc per dignitatem suam ac statum aliquid promittunt: quæ verba secundum vulgata comparantur cum religione jurisjurandi. Schraderus *conf. 1. n. 458.* Quis autem dubitat, quin ex hoc quoque pactum confirmetur? Addunt nonnulli, pro hac sententia confirmanda, quod illustres ultra quingentos donare possint, immo quod ipsis quoque donari possit à privatis, neque tamen insinuatio, sive confirmatio superioris requiratur. Verum neque hæc argumenta certo respectu negliguntur. In præsenti casu autem respicitur tantum ad statutum, vel consvetudinem provinciæ, unde pacti valor æstimatur. Exemplo sit iterum pactum hypothecæ, in contractu mutui, ad caussandam hypothecariam, adversus debitorem, vel possessorem quemvis tertium, post excussionem bonorum debitoris principalis, & fidejussoris. Berlich. *part. 2. concl. XXIX.* eundem proponit in terminis. Heic sane nihil efficeretur ab agente, sive plebejus foret ac rusticus, sive nobilis & illustris, si constituta fuisset hypotheca immobilium emphyteuticorum, censiticorum, & allodialium, sine consensu

domini,

domini, vel judicis ordinarii, sub quo sita sunt illa bona. Quando igitur debet ratio adsignari, actionis frustra institutæ, ea sola redditur, quod nulla sit petita hypothecæ confirmatio. Neque enim huc quidquam facit status nobilitatis: quia casu obveniente in tali pacto, Mollero teste, *ad constit.* XXIII. *part. 2. n. 15.* nullum apud Scabinos Lipsienses discrimen servatur, in judicando pariter, ac respondendo. Constitutio enim legislatoris Saxonici est universalis, ac neminem excludit. Addatur Carpzovius *p. 2. const. XXIII. def. 1. n. 10.* Aliter comparatum est, ubi nobiles & illustres extra statuti, vel consvetudinis receptæ terminos versantur. Ibi certe jure suo utuntur, neque in libertate adprobandi quælibet negotia impediuntur, modo secundum naturæ & gentium placita recte se habeant. Deinde non satis commoda est argumentatio à donatione ad pactum. Franzkius *lib. 2. resol. XII. num. 11.* Ne jam de jurejurando agamus, in verbis: **bey adelichen, gräflichen Ehren:** quæ vim habent in permissivis, non vero contra jura, statuta, & mores locorum, *arg. l. 5. C. de LL.*

VIII. Quis ex numero petentium dimoveret suspectos nonnullos in pactis quotidianis, maxime Judæos? qui propter usurariam pravitatem

ea sæpius commiserunt, unde principes in Imperio, & status meliora præscribere debuerunt sibi subjectis. In pactis vero Judæos excedere potissimum, non est uberius declarandum. Hinc & statuta Judæis permittentia usuras, licet confirmata sint à superiore, non habent auctoritatem, per allegatos à Menochio, *cons. CCC. n. 96.* conferatur Philippi ad *decis. XXVIII. Saxon. obs. 6. n. 16.* Ita non raro occurrit nominis cessio, quæ per modum pacti, ac simulati contractus fieri consvevit utplurimum. Matthæus nimirum Christianus, cum Simone prius contrahere non vult, quam actione nominis cessa sibi, adversus Nicolaum. Quæritur an subsistat hoc pactum? Recessus *de anno 1551. §. 78. & seqq.* verba sunt luculenta, & nimis generalia: Kein Jüde soll hinförter, als Schuldgläubiger, seine Action und Forderung in einige Wege cediren, oder Contracts-weise einem Christen zustellen, bey Verlust derselben Forderung. Ja wo Obrigkeit, Notarii, und andere Schreiber, dergleichen Contracte oder Pacta stellen, die sollen ihrer Ehr und Aemter entsetzet seyn. Addatur *Ordin. polit. de anno 1577. tit. XX.* Von Jüden und ihrem Wucher. Lauterbachius *ad ff. de heredit. & act. vend. §. 23.* propter textus generalia & illimitata

verba

verba nullam restrictionem admittit, quasi ad usuraria fere negotia respiciatur ab Imperatore & Statibus. Conferatur Manzius *quæst. V. ad leg. Anastas.* Quidquid tamen sit hujus rei, nobis cessio nominis facta à Judæo in Christianum, de jure videtur non invalida, si secundum normam præscriptam facta sit. Saxonica *decisio novissima XXVIII.* In dem Fall, do einer eine Schuld oder Action, wenn er die Mittel solche fortzusetzen nicht hat, verhandeln wolte, soll er solches coram quocunque judice gerichtlich thun, die caussam debendi und das quantum debiti richtig, ohne einigen Falsch, Gefehrde oder erdichteten Titul, mit deutlichen Worten ausdrücken. Per hæc verba in Saxonia non tam impugnatur recessus, quam declaratur: quia sine auctoritate judicis, sive extra judicium, qui cum Judæo paciscitur, in cessione debiti præsertim, nihil agit: contra qui negotii hujus, aut pacti cum Judæo initi, confirmationem petit à judice, omnem fraudem & usurariam pravitatem evitasse censetur. Neque enim sequitur: nullum pactum & negotium extrajudiciale Judæi cum Christiano est validum, propter usurariam pravitatem: ergo nec per judicis confirmationem effici potest validum, si fraus absit, & studium usu-

rarium execrabile. Richterus *decis. XXXVI. n. 13.* Ubicunque igitur abest usuræ hoc studium, nec ulla fraus in judicio patet, pacti confirmatio à judice recte petitur, & secundum normam præscriptam valide indulgetur. Plura habet Dn. Schilterus *exerc.* XXX. *ad ff.* §. 72.

IX. De muliere dubitatur similiter, an illa confirmationem pacti debeat petere? Ista autem quæstio pendet ab ea, num valide paciscatur & contrahat femina? De jure communi nullum est dubium, quin possit, si fidejussionem exceperimus, propter Senatus Consultum Vellejanum. In foro contra Saxonico, ubi feminæ cum pupillis & minoribus comparantur, pacta illarum sine auctoritate curatoris non valent, per vulgata. Carpzovii *decas III. de jure feminarum*, huc pertinet integra. Apud Wurtenbergenses *part. 2. juris prov. tit. 29.* disertissima verba sunt: Keine Weibsperson soll einigen Contract und Handthierung ohne ihren Ehevogt treffen oder vornehmen. Ratio statuti præcipua est, ut sexui consulatur, propter infirmitatem: sed quando ex eodem requiritur consensus, vel auctoritas curatoris, in pacto & contractu, solennitas actus & forma essentialis intelligitur. Hæc vero ubi deest, ipse actus est nullus.

lus. Veritas hujus sententiæ nititur sanctione: Da wider unsere Satzung, de Pacto & Contractu mulieris in einigem Weg gehandelt würde, soll dasselbe keine Krafft noch Würckung haben: nisi quis certo in casu mulierem excipere velit, respectu pactorum dotalium. Joh. Baptista Collingius *decis.* CCCCXXXIII. *in princ.* Wibel. *cap. IV. de contractib. mulier. n. 18. p. m. 205.* Idem procedit in Saxonia, modo quinque testes fuerint præsentes. Carpzovius *p. 2. const. XV. def. 11. item p. 3. const.* XX. *def. 2.* Et hæc quidem de jure contrahendi & paciscendi, quod ad mulierem attinet, breviter sufficere possunt. Jam de confirmationis petitione, à muliere instituenda, pauca restant. Sunt, qui, ad petitionem mulieris, non adeo requirunt auctoritatem curatoris, si præsertim cum ejus consensu pactum fuerit rite celebratum. Immo quod pactum, in forma essentiali perfectum, à sola possit muliere insinuari, nec præcise opus sit interventu curatoris. Tandem quod hic actus videatur proxime accedere ad naturam insinuationis, si mulier mortis caussa donaverit: hanc vero ab ipsa sola fieri posse, sine curatoris auctoritate. Promiscue nimis cumulatur ista: quare non præter rem affirmamus, feminas agere cautius, si cum

aucto-

auctoritate curatorum petant confirmationem pactorum, in causis præcipue, quæ sunt alicujus momenti. Carpzovius *decad. IX, posit. 5.* licet de re litigiosa pactum non sit conceptum. Si vero pactum non tendat ad mulieris damnum, in re familiari, aut jure hereditario, similique casu, quin ab illa sola insinuetur licite ad confirmandum, extra dubium habetur. Dn. Stryckius *sect. 1. de cautel. contract. cap. 2. §. 30. & fin.* An princeps, ad mulieris petitionem, confirmare pactum queat, quod solennitate destituitur, & sic jure nullum est, ex superioribus disputant. Verum solennitas hæc, quia ex statuto dignoscitur, facile adparet principem contra illud dispensare, & sic pactum feminæ, sine curatoris auctoritate initum, modo ne divino ac naturali juri repugnet, confirmare posse. Hoc est illud juris dogma, quod vulgo defendunt, principem actum per se inutilem efficere posse utilem, sive validum. Enenkel *lib. 3. de privil. jur. civil. cap. 20. n. 28.* Gailius *2. obs. 1. n. 16.* Neque interest, num *confirmationem* hanc nonnulli, an *dispensationem* adpellent: quia illa sine hac in præsenti casu impetrari nequit. Wibel. *c. VI. l. c. n. 104.*

X. Minor ac pupillus, in diversa rerum ac personarum contemplatione, diverso etiam jure

utun-

utuntur: si tamen ad pacta, & eorum confirmationem respicimus, uterque conditionem suam paciscendo meliorem reddere potest. Ut major autem securitas in pacto sit, confirmatio peti solet. Pupillus quidem, infantia major, extra judicium commoda sua recte promovet: quoties autem ad judicium pervenitur, tunc auctoritas requiritur tutoris, *l. 1. §. 2. ff. de administr. tut.* propter intellectum de rebus lubricum nimiopere, & ætatem debilem, *l. 1. §. 3. ff. de postul.* unde potest evenire facillime, ut negotium pupillus nec proponat integrum, neque ex utilitate sua perficiat. Judex enim certus omnino sit necesse est, si & ipse consensum auctoritatemve impertiri velit. Tutor itaque petit confirmationem rectissime, sed per sequentia: Erscheinet Junius, mit seinem Vormund, und bittet die mit Jodoco getroffene Tractaten, wegen Erkauffung eines Lustgartens, in bester Form Rechtens zu bestätigen, und zu confirmiren. Quamvis enim tutor solus hodie peragat cuncta, nomine pupilli sui: Franzkius *exerc. III. quæst. 4.* tamen in pactis & contractibus, eorumque instrumentis, præmittit non sine ratione nomen pupilli, majoris infantia, cujus principaliter interest. Dn. Strykius *l. c. §. 3. & 6.* Hoppius *ad*

 pr.

pr. Inst. de auct. tut. De pacto ad contractum perficiendum addatur Dn. Coccejus *sect. 1. de usu pactor. & stipul. hodierno §. 6. & seqq.* Minor in personalibus non opus habet alterius ope, & auctoritate: quare & in his licite paciscitur, de jure inprimis communi. Quando autem confirmationem petit, ex *l. 2. C. qui legit. pers. standi hab.* in judicio vix admittendus censetur. Verum lex minorem XVII. annis, à prætore designatis, excludit à judicio, quod homines perfecti requirit judicii, ne fiat elusorium. In petenda confirmatione nulla lis est suscepta, nec difficilis ejus impetratio adparet, si pactum sit honestum, & ad minoris utilitatem comparatum. Hodie cum invitis quoque curator detur, præstat sane, ut minores juxta cum suis curatoribus petant. Immo potest à minore pariter confirmatio peti juratoria, quæ ex minore facit majorem, & restitutionem impedit. *Authent.* Sacramenta puberum *C. si advers. vendit.* ubi præter tot alios Doctores, ex practicis conferri meretur, Joh. Dauthius, *ad cap.* quamvis. *in VI. de pactis.* De surdis, prodigis, furiosis, vel ex aliis vitiis laborantibus, paria constant: de petitione illustrium alibi agemus, in materia pactorum successoriorum, & feudorum regalium, ne heic plura, & nimia cumulare videamur. X. U-

X. Unica supereſt quæſtio: quis ex paciſcentibus, in contractu præſertim mutui, confirmationem petere debeat? Supra ex ſtylo judicii Cameralis, & aliarum curiarum, notavimus, quod ad legitime petendam, & impetrandam confirmationem, requiratur utriusque paciſcentis conſenſus & præſentia. Ubicunque enim intereſt utriusque, ita quidem ut jus unius minui, alterius contra augeri poſſit, ibi actus confirmationis in judicio non peragitur μονομερῶς, ſive ab una parte, ſed ab utraque præſente, *l. 47. ff. de re judic.* Ex generali hac concluſione quis exiſtimare poſſet, quaſi uterque, creditor juxta & debitor, petere deberet confirmationem pacti: quod quidem ſi paciſcentes ultro faciant, non improbatur. Quando autem unus tantum à Superiore petierit tunc minus recte procedit confirmatio, altera parte abſente: quare abſentis citatio requiritur omnino. Gailius *11. obſ. I. n. 11.* & in additionibus Grævæus *ibid. n. 49. 58. ſeqq.* Rittershuſius *part. IX. ad Novell. c. 22. n. 27.* Jac. Gothofredus *ad l. 71. ff. de R. J.* Ad quæſtionem propius intenti notamus, regulariter debitorem pacti confirmationem petere debere. Mevius *ad part. III. Juris Lubec. tit. IV. art. I. n. 36.* Ratio eſt, quia debitor, pacto hypothecario, rem ſuam

 aliena-

alienaturus, primo omnium consentire debet. Neque etiam creditor, ante hanc alienationem, & confirmationem judicialem, jus validum habet in re debitoris, vor der gerichtlichen Verpfänd- und Einschreibung in das Stadt-Buch, wodurch die Hypothec sodann kräfftig und beständig wird: Sicut verba in statuto sonant *ibidem num. 43.* De consensus judicialis & confirmationis differentia Dn. Schilterus *exerc. XXXIII. n. 8. item 16.* ubi creditorem vigilare decet, si de confirmatione sit expresse conventum. Dn. Stryckius *sect. 2. de cautel. contract. cap. 4. n. 2.* Luculentior erit responsio, ad quæstionem propositam, ex casu feudali, ubi debitor vasallus necessario debet requirere consensum domini, non creditor vasalli: quia reverentiam ille debet ac fidem domino; ita quidem ut non petita confirmatione hypothecæ, in re feudali, ex contemtu inferat domino injuriam. Contra si confirmationem petere velit creditor, non auditur à domino, nisi jus, confirmationem petendi, sit cessum à vasallo creditori: quo ipso simul purgatur contemtus. B. Struvius per responsum facultatis demonstrat, quod idem procedat, si vasallus creditori hypothecam constituerit, sub conditione impetrandæ confirmationis, & creditor

tor deinceps consensum impetraverit. *cap. XIII. syntagm. feud. aph. VII. n. 3.* Formulam exhibet Dn. Strykius *Sect. 1. de cautel. contract. cap. III. §. 28.* Und will ich hiermit meinem Gläubiger freye Macht und Gewalt gegeben haben, auch ohne mein Vorwissen über diese constituirte Hypothec, des Lehen-Herrns Consens oder Confirmation einzuholen. Berlichius ad quamvis aliam hypothecam, respectu debitoris, hoc extendit, *parte 2. conclus. XXIX. n. 47.* Dominus ad petitionem impertitur confirmationem sequentibus: Und wir, der Lehn-Herr, haben, auf vorgehendes Suchen, in diese wiederkäuffliche Veräusserung, und zu mehrerer Sicherheit constituirter Hypothec, gewilliget, ratificiren auch, confirmiren, und bestätigen, mehr-erwähnte Alienation, und Unterpfändung, Krafft dieses unsers Willbriefes, allermassen, wie vorstehet, &c. Quod autem in specie debitor vasallus confirmationem petere teneatur à Domino, non à magistratu, quem Dominus feudi constituit, id est, non à quæstore, sed principe ac domino, uberius docet Carpzovius *lib. IV. respons. XXX.* Idem de alia quæstione jungatur: *An* contractuum & pactorum *confirmatio sit petenda à successore* Principis vel Imperato-

 ris?

ris? *cap. III. de Leg. regia sect. 14.* Ex disciplina morum, & jure universali respondet Dn. Kulpis. *ad lib. II. Grotii de J.B. cap. 14.*

CAPVT III.
DE HIS
QVI PRAESTANT CONFIRMATIONEM.

I.

Regula est, quod Superior præstet confirmationem: quia si pares fuerint paciscentes, & conventionis articulos invicem, vel per singulare pacti membrum, vel jurisjurandi religionem firmaverint, tunc non tam *confirmatio* erit pacti, quam *ratificatio*, sicut jam supra monstravimus; Berous *ad rubr. de confirm. utili n. 2.* hoc quoque docet: *ex prædictis infertur, quod confirmatio à pari vel inferiori non possit fieri, sed potius ea sit adprobatio vel ratificatio.* Dubium oritur, de jurejurando, an si per illud confirmatio fiat, à pari vel inferiore, secundum diversam hominis conditionem, rite fieri censeatur? Et videtur id non esse statuendum, propter auctoritatem DEI, unde omnis jurisjurandi vis æstimanda: quare rectius, per sum-

ſummum omnis fidei auctorem, in pactis confirmatio fieri dicitur, ſi illa per jurejuranda confirmantur. Ratio ſententiæ hujus petitur, ex jurisjurandi definitione: quod eſt deliberata numinis divini, tanquam fidejuſſoris, atque teſtis invocatio, ad rei licitæ, & pacti honeſti confirmationem. Deinde communis eſt opinio doctorum, quod jusjurandum Principis, vel jurata ejus promiſſio, ſit loco confirmationis. Baldus *conſ. CCLXXXIV. vol. 1.* Dn. Strykius *cap. I. de confirm. princip. §. 10.* Quicunque autem ita DEVM invocat, & per eum ſeſe obligat, non tantum ſibi & alii, ſed DEO præcipue obligatur. Zieglerus *ad lib. 2. Lancellotti tit. 10. §. 18.* Pertinent huc pactorum confirmationes, quæ celebrantur à regibus & principibus, quorum poteſtas eſt ſumma, ſive qui in terris non habent ſuperiorem. Romanorum, Græcorum, aliorumque rationes, in pactis firmandis, explicavit Dn. Præſes Diſſertationis noſtræ, ſchediaſmate peculiari, *de moribus gentium circa federa.* Ad rem præſentem, quæ faciunt, breviter addemus: Memorabilis eſt confirmatio federis atque pacis, inter Henricum quintum Imperatorem & Papam, quam deſcribit Sigebertus Gemblacenſis, ad annum MCXI, in celebratione miſſæ, ubi Papa ad

Cæſa-

Cæsarem infit: *Accipe corpus & sangvinem Domini nostri JESV CHRISTI, in confirmationem veræ pacis inter me ac te.* Similis pacti confirmatio, *per sacram evcharistiam*, inter Henricum quartum & Hildebrandum, occurrit sub finem Lamberti Schafnaburgensis: quæ legi meretur. Goldastus *tom. III. Constitutionum Imper.* ad annum MCLII, de pactis inter imperium & ecclesiam servandis, sequentem confirmationem, auctoritate DEI factam, producit: Dominus Imperator, qui tunc erat Fridericus Barbarossa, *unum de majoribus ministerialibus regni fecit in anima regis jurare, & ipse propria manu data fide, in manu legati Papæ promisit*, hæc omnia sese facturum & observaturum *sine fraude & malo ingenio*: Dominus vero papa *apostolicæ auctoritatis verbo, una cum prædictis cardinalibus*, in præsentia legatorum regis promisit, &c. Leibnizius, *in prodromo Codicis diplomatici n. III.* de Friderico eodem Cæsare, & Gvilielmo rege Siculo, habet sequentia: *ut hac*, pacta scilicet induciarum, *firmiter & illibata serventur*, nos Imperator *bona fide, sine fraude, & malo ingenio*, in præsentia Alexandri Papæ, & Cardinalium, à Comite Henrico de Diessa, *in anima nostra, super sancta DEI evangelia, & sanctorum reliquias jurare fecimus,*

mus. In ritu hoc confirmationis ad lucem pauca notabimus: Cæſar non jurat, ſed in animam ipſius jurat alius, dignitate, fide Germana, & meritorum amplitudine illuſtris: quia ſufficit verbum Imperatoris, ac dextera, qua ſemel obligavit ſeſe liquido, ſive jurato, cum regimen publicum ſuſciperet. Franciſcus Mennenius *cap. I. de ordine equeſtri p. 21.* Hæc ratio, cur apud Gallos quoque rex dicatur ſemel jurare: quoties vero deinceps jurejurando pacta, induciæ, transactiones confirmari debent, ex aulæ proceribus deligitur, qui religionem jurisjurandi præſtet, nomine regis. Tillius *de pactis inter reges Franciæ & Angliæ pag. 176.* Mylerus *cap. VI. Nomologiæ* §.3. Qui præter delectum, in animam principis, regis, aut Imperatoris, jurant, vulgo adpellantur *teſtes confirmatores*, de quibus paſſim exempla habentur in monumentis antiquis: Mabillon. *lib. II. de re diplomat. cap. XXVII. n. 9. & ſeq.* De *Sacramentalibus*, qui principali juranti adſiſtunt, ſive ſuo jurejurando ejusdem confirmant, Iſernia videndus *ad cap. de contentione inter dom. & fidel. n. 7. p. m. 117.* Sic porro, in adductis, non juravit pontifex, ſed *verbo auctoritatis apoſtolicæ* pactum confirmavit, quod omni ſtipulationi, ac promiſſioni longe prævalet. Ajunt enim ſacri

 homi-

homines, quod per canones prohibeantur, jurejurando quidquam confirmandi. Addatur Johannes Sarisberiensis *epist. 67.* B. Zieglerus *ad 3. Lancellotti tit. 12. §. 2.*

II. Neque res hæc in sola consistit antiquitate: verum hodiernis moribus est receptissima. Sic pacta induciarum à legatis Svedicis & Moscis, anno MDCLVIII, mense Decembri, jurejurando utrinque præstito firmabantur, notante illustri Barone de Pufendorf, *sub finem libri V, de rebus Caroli Gustavi, regis Sveciæ, p. 509.* Sic Henricus IV, Galliæ rex, hodierni regis avus, anno MDCIV, cum Achmete, Suldano Turcico, fedus iniit: qui mox illud confirmavit jurejurando, *per veritatem magni DEI*, omnipotentis, *creatoris cœli & terræ, per animas avorum suorum & proavorum.* Brideaux *ad marmora Oxoniensia p. 41.* Respectu infidelis dubium oritur, an per jusjurandum ejus confirmari possit pactum? ubi statim notari debet in principio discrimen, inter juramentum verum, & confirmationem pacti, ex falso juramento factam. Id enim negandum est minime, quin jusjurandum abinfideli præstitum, sive ab eo, qui verum DEVM ignorat, neque unquam rite colit, sit tale, id est, non verum: quia non sit per invoca-

tio-

tionem, & atteſtationem veri DEI, ſed qualem colit infidelis. At quod omnis ei vis deneganda ſit, inter gentes, circa pactorum confirmationem, id facile ſtatui nequit. Ratio eſt, quia licet tale juramentum non obliget, propter falſum DEI cultum: obligat tamen jurantes & confirmantes, propter conſcientiam erroneam. Nam & hanc obligare, demonſtratur ex caſu *l. 20. ff. quibus modis uſusfr. amitt.* ubi uſufructuarius, qui putat ſe habere ſolum uſum, male in re verſatur, ſi utatur juxta & fruatur. Dn. Schilterus *cap. VII. philoſ. juris §. 9.* Jungatur Hornejus *lib. III. Inſtitut. moral. cap. IV. §. 5.* Eo ipſo igitur, dum infidelis putat, ſive totus perſvaſus eſt, falſo licet, ſeſe per DEVM verum jurare, & pactum confirmare, non minus obligatur, quam ſi per verum DEVM juraſſet. Quoniam vero Chriſtianus tale juramentum pariter non recuſat prorſus, ſi cum infideli paciſcatur, ſed eo pacti confirmationem utcunque fieri arbitratur, hinc omnino debet cenſeri utrinque obligatorium. Uffelmannus *cap. VIII. de jure quo in ſermone obligatur homo homini §. 26.* Alia rurſum quæſtio eſt, an tale jurisjurandum Princeps Chriſtianus expoſcere queat, ſi maxime ſciat, quod per jusjurandum ejusmodi falſum, ſive idololatricum,

cumulet idololatriam? Id præsupponitur, reges ac principes, qui superiorem non agnoscunt, libere pacisci inter sese, & sic neutrum alteri præscribere modum, per quem confirmet. Qui itaque nec invitat alterum, neque exposcit ab eo tale jusjurandum, sed ipsum religioni suæ, ac libertati permittit, nihil contra bonos mores committit. Addatur Muretus *lib. VII. Variar. cap. 3.*

III. Verum pergimus ad alia pacta jurata, atque liquido confirmata ab hominibus, per ipsum DEUM supremum testem, & fidei datæ vindicem justissimum. Quicunque enim hunc per salutem suam invocat, per hunc pacta sua confirmat, neque tamen servat, ille omnino indignus est, cum quo paciscamur amplius. In patria nostra communi sanctius est nihil aut majus, quam pactum capitulationis, ab Imperatore electo, nondum tamen coronato, jurejurando confirmatum. Quod vero pactum recte dicatur capitulatio, patet ex illius principio: Haben uns demnach aus freyem, und hierzu gegebenem väterlichen, auch gnädigem Willen, mit unserm respective gnädigen Herrn Vater, und lieben Neven, Oheimben und Churfürsten, vor sich und sämtliche Fürsten und Ständen des Reichs, Geding- und Pacts-

Pacts-weise, dieser nachfolgenden Articul vereiniget, verglichen, angenommen, und zugesaget. Ex fine autem de confirmatione judicandum, ubi leguntur verba expressa: Solches alles und jedes, wie obstehet, haben wir obgedachter Röm. König denen gedachten Churfürsten und im Nahmen des Heil. Römischen Reichs geredt, versprochen, und bey unsern Königlichen Ehren, Würden, und Worten, im Nahmen der Warheit zugesaget, thun dasselbe auch mit einem leiblichen Eyd zu GOtt und dem Heil. Evangelio geschwohren, dasselbe stet, fest, und unverbrochen zu halten, deme treulich nachzukommen, darwider nicht zu seyn, zu thun, oder zu thun lassen, in einige Weiß oder Wege, wie die mögten erdacht werden, Uns auch darwider einigen Behuff oder Ausnahm, Dispensation, Absolution, geist- oder weltlichem Rechte, wie das Nahmen haben mag, nicht zu statten kommen sollen. Novimus ex historia patria, tantam in Cæsare obligationem, ad certa capita, deberi Friderico Saxoniæ electori, qui propter res gestas in Imperio & patria *sapiens* dicebatur. Hic enim in deliberatione gravissima collegarum, ad excludendum Gallum, conditiones proponebat, jurato servandas,

 à fu-

á futuro Imperatore Carolo quinto: ad cujus exemplum obstringuntur posteri. Ferdinandus certe frater ipsius, quemadmodum ex actis refert apud Dilingenses, *scriptor compositionis pacis, cap. VII. quæst. LIII. §. 38. p. 319.* capitulationem vocat eine sehr theure hochbeschworne Obligation, so Jhre Majestät bey Antretung des Käyserthums des Heil. Röm. Reichs Churfürsten persönlich und zierlich gegeben, id est, solenniter atque corporaliter. Ad eandem confirmationem, Imperio factam, in actis provocat subinde frater uterque: sed & hoc idem urserunt adversus utrumque proceres occasione data, per verba: Solche Beding könnten nicht umgestossen, aufgehaben, oder verändert werden, es geschähe denn mit gemeinem aller Stände Rath und Bewilligung. Sleidanus Schadæi, *ad annum MDXXX; lib. VII. de statu relig.* §. 20. Limnæus addatur *ad articulum XXXI.* Capitulationis Carolinæ, & quidem ad verba: einen leiblichen Eyd. Neque sic ullius momenti est quæstio nonnullorum, an post electionem legitime factam, & capitulationem præscriptam, Cæsar promissioni nudæ sit relinquendus, nullo simul præstito jurejurando? quia repugnat observantia Imperialis: deinde quia nimis

mis est incivile, sive absurdum, de rebus certis & compertis dubitare, *arg. Novell. XIX. in pr.* immo ubi jusjurandum corporale ad solennitatem confirmationis requiritur, ibi confirmatio non habet formam, sive vim & effectum juris, si juramentum negligatur, quod nec per æquipollens suppletur. Vultejus *conf. XVII. n. 52. vol. 1.*

IV. Sed de hac quæstione, in genere, considerata, quousque nimirum requiratur jusjurandum, pro forma pacti, alibi agemus. Postea vero quam Imperator præest Imperio, & auctoritate summa administrat cuncta, ad eum pariter confirmationes pertinent, in præcipuis negotiis, conventionibus, & pactis principum. In concessione feudorum, à summo Principe facta, novimus expectativam non raro dari, ex pacto & conditione, si hæc vel illa stirps illustris extincta fuerit: quare à Germanis non male adpellatur jus expectativæ, ein Geding, eine Anwartung eines noch unverledigten Lehens, consentiente præsertim eo, qui ultimus est familiæ, *l. fin. C. de pact.* immo quamvis non consentiat. *1. F. 27.* ibidemque Schilterus *cap. XII. comment. ad jus feud. Alem. §. X. & seq.* Gailius *II. observ. CLV. n. 2.* Petrus de Gregorio *part. 1. de concess. feudi quæst. 3.* quia confirmatio,

matio, sive consensus Imperatoris, præsumtiones illas, & suspiciones iniquas, de captatione mortis, tertii adhuc viventis, tollere videtur. Mynsingerus *cent. IV. obs. 8.* propter clausulam: *ex certa scientia.* Addatur tamen Dn. Schilterus *l. c. cap. XIX. §. 7.* in casu expectativæ Lauenburgicæ, domui Saxonicæ datæ à Maximiliano I. Hoc igitur jus pactitiæ, & conditionalis successionis, non valide subsistit, nisi manu ac sigillo confirmetur regis aut Imperatoris. Rosenthal. *cap. VI. concl. 6. in annotatis.* B. Struvius *c. VII. S. F. aphor. IV. n. 2.* Casum in terminis præbent nobis *acta Lundorpii*, ad annum sæculi labentis decimum sextum, *lib. 2. cap. 4. & subsequentibus:* ubi describitur pactum renunciativum Philippi III. regis Catholici, in adoptione Ferdinandi II. archiducis, à Matthia Cæsare instituta, per quod omne successionis jus, in utroque regno Hungariæ & Bohemiæ, cum provinciis ac terris connexis, transtulit in Ferdinandum. Iste cessionem adprobavit, summa cum solennitate, & animi grati testificatione, promisitque statim, sese à Cæsarea majestate confirmationem impetraturum esse. Facta est illa, & quidem per sequentia: "Wenn wir nun so wohl von Königlichen Spanischen Gesandten, als Unseren lieben

lieben Vetter Ferdinand gebethen und ersuchet worden, daß wir solche Pacta zu adprobiren und zu bestätigen geruhen wollten: Dannenhero haben wir aus tragendem Eifer, Lieb und Affection, damit wir unseres Hauses Wohlfahrt und Aufnehmen hertzlich gerne sehen, uns dahin leichtlich bewegen lassen, daß wir mit unserer Käyserlichen und Königlichen Auctorität solche Handlung gut heissen und confirmiren, wie wir denn auch hiermit, und in Krafft dieses Briefes, alles solcher Gestalt bestätigen, adprobiren und ratificiren, &c. Plura ex actis pariter suppeditat continuator Johannis Sleidani, *ad annum* MDCXVII. *n. 14. p. 411.* In eadem domo si manemus, & surgimus paullo altius, tunc nobis occurrit pactum, sive statutum familiare, de successione primogeniti in terris Austriacis, quod Carolus V. Imp. confirmavit, sicut ex privilegiis domus Austriacæ editis passim constat. Verba apud Limnæum, *V. de J. P. cap. 2. n. 32. lit. f.* ita se habent: Der ältiste unter den Hertzogen soll die Herrschafft des Landes haben, und nach ihm sein ältister Sohn. Ubi alii senioratum in domo, alii primogenituram statuunt. Ex dispositione verborum sane nihil aliud quis exsculpere potest, quam jura senioris. Verum qui

in actis & pactis nominatur Senioris heres, ejusdem senior filius esse debet, & sic omnino primogenitus est. Adparet igitur, quam facile in generali verborum sensu disponatur de seniore, qui deinceps intelligitur natu primus: quia nemo præcedit ipsum ætate. Sic Imperator Maximilianus, in confirmatione pactorum domus Wurtenbergicæ, & collatione ducatus, primogenitum adpellat den ältisten Sohn, den ältisten ehelichen Männlichen Leibes-Erben. Hortlederus *III. de caussis B. G. c. I. p. 610.* Hodie quidem apud Austriacos, in electione Imperatoria, respicitur ad primogenitum semper, & illius progeniem. Cur autem Carolus V, & senior, & primogenitus, non retinuerit Austriacas terras, quæ sibi ex statuto familiæ debebantur, sed illas transmiserit in fratrem Ferdinandum I, non eadem est sententia. Rationi, principioque nostro, & supremæ potestati convenientior est illa, quod justis de caussis recesserint fratres à pacto antiquo, & per divisorium pactum in hasce conditiones liberrime consenserint, quas alter quoque, Carolus Imperator, confirmavit sequentibus: Darauf verneuren, confirmiren, bestätigen und befesten wir, diese und sonst alle andere Freyheiten, so hierinnen nicht benennet, und begriffen

griffen seyn, zu gleicher Weiß, als ob die von Wort zu Wort, &c. Quod autem Imperatores, è domo Austriaca, tanquam archiduces, pacta sibi confirmare possint, observat Dn. Lynckerus *comment. in ff. de constit. princ.* §. *IX*.

V. Idem sentiamus oportet, de pactis successoriis, in feudis Principum majoribus. Carpzovius, *de pacto confraternitatis Saxonico-Hassiacæ cap. I.* §. *XVI. n. 110.* definit id conventionem à paciscentibus initam solenniter, & *auctoritate majestatis Cæsareæ confirmatam.* Paciscentes quoque in principio renovationis pacti successorii hujus, apud Naumburgenses factæ, MDLV, A. D. XII. Martii: Nachdem in Vorzeiten unsere Voreltern und Vorfahren, alle seeliger und löblicher Gedächtnüß, sich üm Nutzes und Friedes willen, ihrer aller Land, Leut, und Unterthanen, mit ihren Landen und Fürstenthumben, durch Römischer Käyserlicher Maj. Verwilligung und Confirmation, laut der Briefe darüber gegen einander ausgegangen, zusammen verbrüdert. Addantur in sequentibus Acta die Marpurgische Succession betreffend, inter documenta *lit. C. pag. 13.* Carpzovius *ibid. cap. 2.* §. *XXXIII. n. 156.* Quando vero ad hæc, in jure & facto attendimus, extra

dubium erit, quod Imperatoris confirmatio ad pacta confraternitatum successoria perquam sit necessaria. Sunt quidem nonnulli, qui hoc negant, ex rationibus variis. *Prima* est, quod proceres Imperii gaudeant superioritate in terris hereditariis, inque iis velut potestate suprema & legislatoria condere statuta, inire pacta & federa possint, citra alterius præscitum atque consensum. Ex hac libertate concludunt, nec opus esse in pactis successoriis confirmatione Imperatoris. *Altera* est, quod ejusmodi pacta, & statuta familiarum, neque Cæsaris juri, quod habet in terras Imperii, neque juri feudali derogent: cum nihil tollant in utroque, nihil corrigant, aut immutent, sed eo relicto integro, modum duntaxat in successione præscribant. Referri enim ad conservationem familiarum illustrium, & plerumque excludere divisiones comitatuum, ducatuum, marchionatuum, *2. F. 55.* *Tertia* est, quod, licet per ejusmodi pacta fieret correctio quædam, & immutatio in jure publico, ex lapsu tamen immemorialis & longissimi temporis eadem confirmarentur. Quæcunque enim pacta, ajunt, neque ab Imperatore, neque contrariis moribus impugnantur, ea per se licita sunt, & jam confirmata *arg. l. 1. C. quæ sit longa consuet.*

consvet. *Quarta* est, quod Imperatori de vasallo idoneo prospiciatur ita, nec ille desinat plures habere vasallos, præcipue si ad primogenitum tendat successionis pactum. Hæc sunt potiora, quæ cum aliis proponit Betsius *cap. ultimo de pactis fam. illustrium pag. 683. seqq.* quem Limnæus *IV. de J. P. cap. VIII.* ferre per omnia nequit. Contra qui affirmant, & sic decidunt in quæstione, his argumentis nituntur. *Primo*, quod pacta ejusmodi successoria, inprimis ubi primogenitura stabilitur, non raro de jure quæsito alterius agant, vel tollendo, l. suspendendo: quæ firma esse non possunt, nisi robur accipiant de plenitudine potestatis Cæsareæ. *Deinde*, quod in his pactis agatur de supplenda auctoritate & potestate alterius, qualem non habent Imperii proceres. Jam vero nemo est superior, nisi Cæsar, qui consensu & adprobatione sua id omne impertitur, quod in pactis illustrium desiderari adhuc poterat. *Tandem*, quod per hæc successoria pacta lex præscribatur succedendi proceribus, qui ab aliis legem non admittunt, nisi à superiore latam. Atqui nemo, qui subest Cæsari & Imperio, jura statuum pacto immutare potest, sive in successione, ex lege competente, sive in modo pariter succedendi: immo nec pares in pares,

hoc quoque casu, habent imperium, sive per sua pacta aliis possunt auferre jus radicatum. Constat enim, non sufficere unius ex paciscentibus confirmationem, si eam alter inter successores velut injustam reddere velit irritam, *cap. 7. X. de confirm. utili vel inut.* addatur Gonzalez. *h. t. cap. 2. num. 4.* Ut igitur nullum sit plenius robur, quam quod ab Imperatore confirmante impetratur. Accedit præter ista communis observantia per Imperium: quam confederati non frustra allegant, in pactis successoriis. Gailius *II. Observat. CXXVII. n. 5.* Everhardus junior *consf. XIII. in princ. tom. 2.* Carpzovius quoque in descriptione superius allata, pactum confraternitatis Saxo-Hassiacum, auctoritate Cæsare firmatum ostendit. Conferatur idem *ad tit. XV. Aur. Bullæ, quæst. 2.* item *cap. VI. de lege Regia sect. 7. n. 36. & seqq.* Ex praxi autem communi prudentes maxime sibi cavent, ne quid omittant, unde posthac lites existere queant. Kellerus *1. de officiis juridico-politicis cap. XXII. p. 175.*

VI. Ad rationes negantium dubitandi forte sequentibus respondetur: *Prima* fundatur in regula: quantum potest Imperator in toto Imperio, tantum quilibet princeps in territorio suo potest. Verum sicut in multis casibus aliis, ita heic

pariter

pariter officium suum perdere solet regula. Largimur quædam posse, majore etiam cum libertate, principes in terris sibi subditis, quæ non potest Imperator in universo Imperio: sed & Imperator plura longe potest majora in Imperio, quæ non possunt in territoriis suis principes. Ita in præsenti, ad evitandam fallaciam non caussæ, observare debemus, quod principes quidem statuta condere, pacta & fœdera inire possint, ad salutem & commodum publicum, in terris, quibus jure hereditario præsunt: quoniam vero principatus, tanquam feuda regalia, peculiares habent qualitates, non ad solos principes attinentes, verum Imperio pariter atque Cæsaris juribus innexas, circa eas tam libere paciſci & statuere nequeunt. Ita quidem ut pacta conventa ab illis sint firma prorsus, ac duratura, ad omnem posteritatem obligandam. Id sane admitti nequit: quia quæ sunt Imperatoris, domini ac Senioris, in feudis Imperialibus, ea sibi non recte tribuunt, vel adsumunt in pactis, quæ valent in competentibus tantum & propriis juribus, non in alienis. Quoties igitur non impetratur, quoad nexum Imperii feudalem, & jura Cæsaris, ejusdem consensus & confirmatio, toties posteri ad eum recurrunt velut dominum

num & judicem supremum, ac propter confirmationem ejus non inditam pactis, sua jura ut sibi relinquantur illibata postulant. Neque enim per alios, eosdemque pares obligari sese patiuntur. Ubi autem Imperatoris accessit consensus, propter jura Imperii, ibi plenum robur adesse noscitur, unde nec successores quidquam excipere possunt amplius. Manet sic luculenta restrictio in regula, inque casu nostro, quod tantum possint principes, in pactis successoriis, quantum sibi permissum est, circa jura territorii sui, non circa jura Imperatoris & Imperii, de cujus feudo recte paciscuntur, Imperatoris assensu & confirmatione accedente. Dauth. *n. 86. de testam. p. 130.* *Altera* ex his ipsis resolvitur facilius. Non derogant pacta hæc juribus Imperatoris & Imperii, nec derogare possunt: sed valent in eis, quæ conventione sua principes, erga se invicem, decernere ac statuere in rebus Imperii non prohibentur. Quæcunque enim paciscuntur, quæcunque statuunt, secundum Imperii constitutiones, ea in territorii suis vigent omnino ac valent: quod autem secundum easdem domini & vasalli simul existant, in feudis regalibus, id nunquam probabitur. Jam vero disponere in pactis, de feudis Imperii, licet vulgo adpellentur terræ heredi-

reditariæ, angeerbte Fürstenthüme und Lande, respectu scilicet familiæ certæ, & illa decernere, quæ provisioni & juri subjacent domini, aut superioris, non tam in modo successionis, quam in re ipsa ac jure successionis invalida sunt: quia sine consensu, & confirmatione Cæsaris acta sunt. Gailius *11. observ. CXXVII. n. 6.* Carpzovius *cap. 2. de pacto confrat.* §. *XXXIII.* Quæ ex jure feudali adduntur, ea parum huc faciunt: quin potius ex contextu eodem probatur, alienationem & successionem pactitiam, absque consensu, & adprobatione Cæsaris factam, esse nullam *2. F. 55.* Addatur Hahnius *de jure rerum cap. XI. n. 7.* Sic & in *tertia* ratione dubitandi male adducitur lex, quæ de consvetudine præcipit rationabili, ejusque confirmatione tacita, per frequentiam actuum, quibus nec legislator, nec ejus potestates sive magistratus sese opponunt. Aliter in pactis est, ubi paciscentes forte disponunt contra jus in feudis regalibus, & id cum præjudicio tertii corrigere volunt. In his enim valet commune dogma: quod ab initio invalidum est, id neque successu temporis, immemorialis licet ac diuturnioris, convalescere potest. *Ultima* non tam ex jure æstimatur, quam ex facto paciscentium, quasi prospiciant ita domi-

K no

nō de vasallo. Atqui novimus iterum universale pronunciatum in feudalibus: dominus & vasallus judicantur ad paria. Quemadmodum igitur dominus non potest invitos vasallos, ex pacto, aut cessione quacunque, in alium transferre: ita nec vasalli domino invito de aliis vel prospicere, vel obtrudere eosdem possunt, si eos recipere nolit. Schraderus *part. X. de feud. sect. XVIII. n. 8.* Hæc ratio porro est, cur in tali successione pactitia vasalli quoque consentiant. Limnæus ex pacto Friderici & Wilhelmi, Ducum Brunsvico-Luneburgensium, *IV.* de *I. P. cap. VIII. n. 121.* conferatur Dn. Schilterus *ad cap. LXXXIX. Jur. Feud. Alem. §. 5.*

VII. Ita vero certi sumus de Imperatore confirmante, quod attinet ad pacta illustrium successoria. Novum heic dubium occurrit, de potestate Cæsaris confirmatoria: an scilicet hodienum, si nova inter principes & status pacta ineantur, eadem confirmari ab Imperatore possint? A dubitantibus, velut per exemplum non male huc refertur ducatus Wurtenbergensis, quo de ita Maximilianus I. disposuit, in diplomate erectionis: Ob es wäre, welches doch GOtt in Gnaden verhüten wolle, daß der Männliche Stam̃ der Hertzoge und Herren von Würtenberg gantz absterben, und keiner

keiner mehr seyn würde, daß alsdann solch Hertzogthum mit aller Ober= und Herrlichkeit, Mannschafften, Nutz, Leuten und Gütern, nichts ausgenommen, bey denen Römischen Käysern und Königen, und bey dem heiligen Römischen Reich ewiglich bleiben, und also in Mehrung des Reichs=Widdum=Gut, der Cammer incorporirt und einverleibet seye. Quemadmodum enim ex his, & pluribus, apud Hortlederum *III. de caussis B. G. cap. I. p. 612.* satis constat, quod neque ab ipsis ducibus & possessoribus, de futura successione cum extraneo, pactum fieri amplius, ita neque in casu, si forte aliquod initum, & Imperatori exhibitum fuisset, confirmatio accedere potuerit: quamvis sub nepote ac successore Carolo, in eodem ducatu, emerserint alia jura, de quibus Io. Strauchius *dissert. exoterica X. integra*, ac breviter Dn. Kulpis. *ad cap. 11. Monzambani §. VIII. p. 477.* Singulare hoc erat inventum, ad publicos Imperii reditus post hac augendos: quod electores in capitulatione Carolina, *articulo XXIV.*, effecerunt universale: Daß wenn Lehen dem Reich eröffnet und lediglich heimfallen würden, so etwas merckliches ertrügen, Käyserliche Majestät selbige ferner niemand verleihen,

 sondern

sondern zu Unterhaltung des Reichs, item der nachkommenden König und Käyser behalten, einziehen und incorporiren solle, biß so lange das Reich wieder zu Wesen und Aufnehmen käme. Videntur hæc in oculis fuisse Leonhardo Wurfbain, quando *parte 5. Relationis historicæ de domo Austriaca, p. 117.* scripsit, in aurea Bulla Carolum IV. cum Imperii proceribus constituisse, daß die von derselben Zeit dem Reich heimgefallene Lehen, ausser den Chur-Fürstenthumben, weiter nicht zu verleihen: cum tamen in Bulla, ne quidem verbo, mentio fiat hujus constitutionis. Immo si ita cum statibus disposuisset Carolus IV, in hac lege fundamentali, tunc neque pactum confraternitatis à Saxonibus & Hassis iniri, neque confirmatio ab Imperatore Carolo impetrari potuisset. Etenim illa saluberrima lex condita est, anno MCCCLVI.: confirmatio autem Carolina hujus pacti incidit in annum MCCCLXXIII. *Acta* in Sachen die Fürstl. Marp. *Success.* betreffend *parte 2. p. 30.* Mansit igitur potestas Imperatorum, ante capitulationem Caroli V. liberior, nec impedita ulla in parte: postquam vero libera sese obligarunt illi conventione, Geding- und Pacts-weise, non possunt facile recedere, pro arbitra-

bitratu suo. Sed huc non pertinent casus, in quibus ex eadem familia paciscuntur agnati, & simultanee investiti: quia jus horum firmiores egit radices, nec dum successores deficiunt legitimi. Ubi autem pacta cum extraneis percutiuntur, ad omnem feudi regalis aperturam præcludendam; ibi contra legem agitur. Limnæus *IV. I. P. cap. VIII. n. 153.* concludit: hodie sicut capitulatio familiis, inter quas olim hæc pacta sunt inita, non præjudicat, utpote quarum feuda Imperio non aperiuntur, quousque existit successor ex illis, ita potestatem Imperatoris constringit, *ne pactis ejusmodi novis consensum & auctoritatem præbeat.* De jure nullum adeo dubium est: quid in facto contigerit, idem observat *ad cit. artic. XXIV. capitul. Carolinæ, verb.* behalten: *addatur* Mauricius *ad Leopoldinæ artic. XXX. p. m. 857.*

VIII. Eadem differentia notanda est quoque in antecedentibus, ne forte quis aberret in statu quæstionis: licet propter majorem vim, & ad omnem oppositi formidinem declinandam, confirmatio petatur Cæsaris, à fratribus juxta & agnatis, quorum interest maxime. Memorabile adeo pactum est, inter electorem Carolum Palatinum, & agnatum proximum Philippum Wilhel-

 mum,

mum, ex domo Neoburgica, de ſucceſſione in terris electoralibus, & ipſa dignitate, jureque architheſaurariatus. Inſtrumentum hujus pacti habetur *in electis juris publici nuperis cap. 2. §. 4. p. m. 91.* ubi præter confirmationem Imperatoris requiſitam, ſubjunguntur iſta: Damit jedoch ſothaner Vergleich, als eine beſtändige, und dem Grund der Reichs-Satzungen, und Pactorum familiæ, geſchehene immerwährende Erbvereinigung des Chur-Hauſes Pfaltz, ꝛc. deſto unverbrüchlicher gehalten werde; So haben Wir Pfaltzgrav Carl, Chur-Fürſt, und Wir Pfaltzgrav Philipp Wilhelm, uns verglichen, dieſe Verbindung denen ſämmtlichen Garantien des Weſtphäliſchen Frieden-Schluſſes, gleich hiemit geſchiehet, zu unterwerffen. Quæritur in præſenti: cur pactum hoc ſecuritati & evictioni pacificationis VVeſtphalicæ ſubjiciatur? Majus enim robur confirmatione Imperatoria non datur. Antequam reſpondeamus ad quæſtionem, de ſecuritate hac, & evictione certi eſſe debemus, quænam ſit illa? In Cæſareo Gallico *inſtrum. §. 115. & ſeq.* explicatur ſequentibus: *omnes & ſinguli hujus transactionis conſortes in ſe recipiunt, univerſas & ſingulas ejus pacis leges contra quemcunque, ſine religionis diſtin-*

ctione,

ctione, tueri ac protegere, & si quid eorum à quocunque violari contigerit, læsusque lædentem vel amicabili compositione, vel juris disceptatione oblata, à via facti dimovere non potuerit, junctis cum parte læsa consiliis viribusque arma sumere, ad repellendam injuriam. Universalis itaque videtur pacis hæc fidejussio, ad quam obstringuntur, præter Imperatorem omnes, qui in VVestphalia paciscendo sese obligarunt. Pufendorfius *VIII. de jure naturæ & gentium cap. 8. §. fin.* Huic fidejussioni, inquit, fedus implicitum est, circa ferendum auxilium illi, qui contra pactum læditur, adversus injuriæ auctorem. Adparet sicabunde, in quibusnam consistat securitas ista, & fidejussio pacis, vulgo *Garantia:* à qua minime excluditur supremum in orbe caput, Imperator noster, præcipuus inter paciscentes reliquos, in VVestphalia. Mulzius *part. 2. repræsentationis cap. 8. n. 91.* addit: ubi fidejussio nomine Imperatoris, pro stabilienda securitate pacis venit, *de ea ordines quoque decet esse sollicitos.* Quia autem in recessu domus Palatinæ continentur ea, quæ pacis VVestphalicæ instrumento nituntur, inprimis publicæ confessionis ac religionis libertas, ideo Carolus elector prospicere subjectis, & pacto legitime facto iisdem consulere voluit:

voluit: ad quod pariter alter ex paciſcentibus, Philippus VVilhelmus Neoburgicus, omni meliori modo ſeſe obligavit, cum omni ſua poſteritate. Utque tanto magis cuſtodiretur pactum, & contra violaturos illibatum perſiſteret, ſecuritati ac vindictæ publicæ id ſubjecerunt. Si tamen porro dubitatur, annon Garantia hæc ſpectet potius ad paciſcentes, quam ad ſubditos, & pacto huic incluſos? reſpondet Obrechtus *cap. 2. de ſponſore pacis* §. 2: promiſſiones talium ſponſionum tendunt præcipue ad utilitatem aliorum, i. e. incluſorum. Verum nec ita dubitandum erat, quia verba ſatis expreſſa ſunt in pacto §. 2. *& ſeqq.* Verſchreiben Wir Pfaltzgrav Philipp Wilhelm, vor Uns, Unſere Erben und Nachkommen, gleichsfals es dergeſtalt darbey verbleiben zu laſſen, und zu handhaben, wie es obgemeldter maſſen der Innhalt des Inſtrumenti Pacis erfordert und mit ſich bringet ꝛc.

IX. Quæ ſupra protulimus, ex capitulatione Carolina, ea repetuntur in ſequentibus, usque ad Leopoldinam, quæ à fraterna, in hoc juris articulo parum diſcrepat. In utraque autem *n. XXIX. & ſeq.* promittit quidem Rex & Imperator, ſe terras apertas & vacantes momenti majoris, ſo etwas merck-

merckliches ertragen, i. e. ducatus, comitatus atque civitates, nemini concessurum amplius in feudum, sed ad Imperii onera sustinenda retenturum esse: verum additur limitatio, es wäre denn, daß solches mit rechtmäßiger Bewilligung, oder Vorwissen der Chur-Fürsten geschehen wäre. Non debet consensus iste electoralis aliter explicari, quam totius Imperii nomine illum fieri: quia electores, tanquam primaria nostræ republicæ membra, columnæ ac latera, quibus tota compages inhæret, nihil contra salutem patriæ censentur admittere. Dn. Coccejus *cap. XIV. de Inst. P. §. 2.* Ratio est, quod non semper Imperii proceres convenire, ac rogari possunt singuli: quare sufficit, si praecipui ex utroque ordine, sacro & profano consentiant. Ad hunc eundem respexerunt paciscentes Saxones, Brandenburgenses, & Hassi, in conventu Numburgensi, anno MDCXIV: sicut ex actis referunt Limnaeus *addit. prior. ad lib. IV. de I. P. cap. VIII. n. 165. sub fin.* & Carpzovius *disp. VII. feudali ad tit. 15. A. B. qu. 3.* quamvis hic exprimat generaliter per *consensum Principum Imperii ac Statuum.* Sic legimus apud Cuspinianum, *in vita Alberti p. m. 402.* vetus extat inter Bohemiae Reges & Austriae Principes fedus, *procerum*

rum consensu & imperiali auctoritate corroboratum. Aliter ista citat ex Mutio Limnaeus *ibid. n.176.* In capitulatione perpetua habentur eadem, quae in Leopold. & Josephica. Sic enim *n. XI.* der Römische Käyser soll und will ohne Vorwissen der Churfürsten ferner niemand leihen, oder einige Expectantz und Anwartung darauf geben ꝛc. non vero indistincta, & generalia: ohne Vorwissen der sieben Chur-Fürsten, Fürsten, und Stände, sicut allegantur vulgo. Dn. Lyncker. *de consensu elect.* §. *24.* immo *n. III.* ibidem quae modo attulimus, diserte continentur: Der erwählte Römische Käyser soll und will des Heil. Röm. Reichs Chur-Fürsten, als seine innerste Glieder und die Haupt-Säulen des Heil. Reichs jederzeit in hoher Consideration halten, in wichtigen Sachen, so das Reich antreffen, und von hohem Præjudiz und weiterem Aussehen sind ꝛc. ex quibus alia conclusio formatur à doctoribus: Imperator, cum electorum consensu, pacta confraternitatum nova, quibus successio defertur extra familiam, confirmare potest. Quemadmodum enim nomine Imperii cum electo Imperatore convenerant antea, sive pacti erant, ex utilitate publica, de feudis regalibus in subsidium Cæsareæ majestatis retinen-

nen-

nendis: ita per aliam conventionem ac liberam collegii electoralis consensionem, talia pacta Imperator confirmare omnino & adprobare potest: quia supremi hujus collegii provisio tollit omnem detrimenti suspicionem. An igitur statuat recte nonnemo, quasi per novissima capitulationum jura, facultas talia pacta condendi sublata prorsus fuerit, ipse viderit. Possunt sane merita domus alicujus ingentia, erga Germaniam & rempublicam totam, Cæsarem pariter & Imperium movere, ut in pactum ejusmodi novum confraternitatis, sive mutuæ successionis consentiant, lege inprimis hoc permittente: si non solus confirmet imperator, sed consensum & adprobationem adhibeat electorum. Fundamentum sententiæ petitur, ex *articulo VI. capitulationis Leopoldinæ*, quod sicut Imperator hodienum pacta antiqua, legitime facta confirmat, ita & similia pacta secundum leges, id est de consensu electorum facta, aut facienda in posterum, rite confirmat. In terris Austriacis, ad jura bonorum allodialium redactis, alienationem hanc pactitiam in extraneum fieri libere posse, sine consensu alterius, contendunt. Hinc verba capitulationis: Doch Ihme dem Käyser von wegen seiner Erblande, und sonst männiglich an sei-

 nen

nen Rechten ohnschädlich. Addatur Mauricius *ad artic. XXX. Leopold. p. m. 858.* An vero, rebus ita se habentibus, casus aperturæ in terris Imperii feudalibus momenti majoris, sperari possit ante finem hujus universi, dubitat non male Dn. Thomas. *in scholiis ad cap. III. Monzambani* §. *3. litt. i.*

X. Sic porro in eadem domo illustri, ubi plures fuerint germani fratres, qui in terris suis, jure feudorum regalium ad se pertinentibus, divisoria pacta inierint, vulgo Erbsonderungen, ne posteri fluctuent, aut de injusta portione sibi relicta conquerantur, optime prospiciunt sibi, ad evitandas lites, earumque dubium eventum, si confirmationem petant ab Imperatore, damit vorangezogene Vergleiche in allen ihren Worten, Puncten, Clausuln, Articuln, Inhalt und Meynung kräfftig und mächtig seyn, von allen Theilen, soweit dieselbe einen jeden binden, stet, fest, und unverbrüchlich gehalten und vollzogen werden mögen, &c. Neque hanc eandem denegat Cæsar, quousque certus est, de consensu paciscentium, & habilitate ipsorum, itemque de justis & honestis rationibus, quibus ad hæc pacta sint adducti. Gylmannus *tom. 3. symphor. voc. confirm. p. 95.* Item *tom. ultimo part. 3. vot. XVIII. & seqq.* Si tamen vel

vel propter læsionem, vel aliam caussam, & qualitatem feudalem, oriatur dubium, cognitio requiritur. Prukmannus *conf. XLIIX. n. 178. seqq. vol. 1.* Hac non obstante, talis confirmatio refertur, in aula cæsaris, inter caussas gratiæ. Uffenbach *cap. XI. de judicio aulico sect. 2. n. 10.* Quando vero inseruntur verba singula confirmationi speciali Imperator ad majorem vim eorum, quæ confirmat, plerumque solet addere: Jedoch soll diese unsere Käyserliche Confirmation und Bestätigung auf diejenigen Pacta und Verordnungen, welche in den Vergleichen angezogen, und nicht beygeleget, noch hiebevor von uns, oder unseren löblichen Vorfahren am Reich confirmiret, nicht extendiret werden 2c. Sunt enim alias pacta strictæ interpretationis, *item:* confirmatio non debet operari ultra confirmabile quidquam *per vulgata.* Ubi autem non adparet hæc restrictio, in confirmatione, ibi certo modo, inque speciali potissimum, valent ea, quæ supra notavimus, ex doctoribus *cap. 1. §. 5. sub fin.* Quæ peculiariter heic excipiuntur, tanquam non inserta, vel antea non confirmata ab Imperatoribus, per luculentum exemplum declarantur, in verbis diarii legati cujusdam ad aulam Cæsaris, quæ Limnæus

 trans-

transſcripſit in *lib. IV. de I. P. cap. VIII. num. 171.* Käyſerliche Majeſtät hätten gerne geſehen, daß die vorigen alte Einigungen zuſamt Ihrer Majeſtät nechſten Vorfahren am Reich, nach und nach erfolgte Beſtätigung, wie in dergleichen Fällen herkommen, in glaubwürdigen Schein wären vorgeleget worden. Sequentia pariter conferri poſſunt. Quæſtio nimirum erat, de confirmatione Friderici III. Imp. Sereniſſimis quibusdam confratribus data, an & ubi exſtaret illa? Rudolfus ab hiſce rogatus, legatione ſplendida, prius noluit confirmationem ſuam indulgere, quam priſca Fridericiana fuiſſet in exemplari authentico producta. Jam vero intelligimus probe, quid velit Cæſar in exceptione: Welche nicht beygeleget, noch hiebevor von Uns oder Unſeren Vorfahren am Reich confirmiret worden. Verba igitur confirmationis in principio ſtatim concipiuntur ita: Haben Uns in Unterthänigkeit angeruffen und gebethen, weilen dabey unter andern zwiſchen Ihnen die Abrede genommen worden, vor inſerirte zwiſchen Ihnen errichtete Freund-Brüderliche Receſſe fürderſamſt zu Unſerer Käyſerlichen gründlichen Wiſſenſchafft zu bringen, und unſere Käyſerliche Confirmation, damit denenſelben deſto

ſto

ſto unverbrüchlicher nachgelebet werde, unterthänigſt auszuwürcken ꝛc. clauſulæ enim, *ex certa ſcientia*, ac *plenitudine poteſtatis* non fruſtra cumulantur, in ejusmodi litteris. Item, ubi ſcientia eſt neceſſaria, e. gr. in confirmatione ſpeciali, qualis eſt præſens, ibi debet eſſe certa, & *manifeſta, cum omnibus ſuis qualitatibus, nec ſufficit in genere aliquid ſcire.* Klockius *conſ. LVI. n. 21. vol. 1.* Formula ipſa hæc eſt: Das haben Wir angeſehen, und darümb mit wohlbedachtem Muth, gutem Rath, und rechter Wiſſenſchafft, jetztgedachte inſerirte Receſs und Pacta, in ſo weit dieſelbigen in Puncto Religionis dem Paſſauiſchem Vergleich, und darauf erfolgtem Religions-Frieden, wie auch denen Münſter- und Oßnabrüggiſchen Frieden-Schlüſſen, und jedwedern darinnen verſehenen Gerechtſamen nicht zuwider ſind, in allen ihren Worten, Puncten, Clauſuln, Articuln, Inhalt- Meyn- und Begreiffungen, gnädiglich confirmiret und beſtätiget ꝛc. Ex iis, quæ dicta ſunt hactenus, facile, niſi fallor, ſtatui poteſt, de quibusnam pactis explicanda ſit generalis confirmatio, in Lepoldina & Joſephica capitulatione, *artic. VI. ſub fin.* de pactis nimirum legitime factis, & ab anteceſſoribus in Imperio confirmatis: quæ ſicuti

nihil

nihil tribuit novi juris, ita neque de casu ad casum facile, neque de persona ad personam extendi potest.

XI. In verbis diarii, à Limnæo prolatis: **Die von Käyserl. Maj. nächsten Vorfahren am Reich nach und nach erfolgte Bestätigung, wie in dergleichen Fällen herkommen**, non obscure significantur confirmationes, repetitæ à singulis in Imperio successoribus. An autem tales pactorum confirmationes, legitime semel factæ, ita sint requirendæ, ut si omittantur, vel non petantur à recens electo Cæsare, vires amittant pristinas, disputatur à nonnullis. Carpzovius §. *XXXIV. de pacto confraternitatis Saxonico-Hassiacæ n. 167.* hoc negat ex triplici ratione: quod ea, quæ per se justa sunt, ac semel valide subsistunt, ulteriore haut indigeant confirmatione, *arg. l. 77. ff. de hered. instit.* deinde, quod idem responderint anno MDLXXXVIII. legati Saxonici & Hassi, in aula Pragensi, quorum verba ex actis recitat: **Daß sie es mittler Weile nichts desto weniger bey Dero zwischen beeden Häusern Sachsen und Hessen althergebrachter Erbverbrüderung in alle Wege bewenden lassen, und derselben hierdurch in keinerley Weise etwas** derogiret **oder** præjudiciret **haben wollten**

wollten ꝛc. addit: nec enim ulteriorem antiquæ confraternitatis confirmationem petierant, neque id necessarium duxerant. Scilicet ex iisdem actis constat, à Saxonicis Brandenburgensibus & Hassis missos fuisse legatos, qui peterent novi pacti successorii cum domo Brandenburgensi confirmationem. Plura de his occurrunt apud Limnæum *locis antea citatis.* Dn. Schilterus ex iisdem *III. de jure publ. tit. 1. §. 9.* concludit, quod anno M D-LXXXVII, apud Naumburgenses, tantum habiti videantur tractatus cum Brandenburgico & aliis recipiendis, veluti Brunsvicensibus: item §. *10.* quod anno M D C XIV. ibidem hoc pactum nec jurejurando paciscentium, nec Imperatoris diplomate expresse, sed à Maximiliano II. implicite confirmatum fuerit. Cur autem tantæ exortæ sint moræ, in confirmando hoc pacto, caussam allegant casum, de duplici electoratu in unam personam confluente: si forte extinctæ forent domus & familiæ electrices. Immo sunt alii, quibus ea sedet opinio, quasi electoratus in pacto sint excepti. Schilterus §. *12. ibid.* quo magis inquit ardua hæc est quæstio, *eo minus videtur esse decisa.* Tandem, ait Carpzovius, non repetendam esse specialiter confirmationem pactorum, à quolibet recens

M electo

electo rege, vel Imperatore Romano, quod generaliter promittant in capitulatione, sese non convulsuros, neque detracturos esse cuiquam, de pactis & unionibus principum legitime constitutis. Aliter sentiendum est, si novi articuli pactis adjiciantur, qui in antecedentibus confirmatis non extant. De renovatione igitur horum pactorum eadem debent intelligi: quamvis interdum tutius videatur & consultius, immo devotioni ac reverentiæ vasalli conveniat illustris, confirmationem pacti, non tam antiqui, aut semel tantum confirmati, à novo petere domino: quæ non solum tribuit majorem auctoritatem, sed alia quoque litigantium incommoda submovet. Uffenbach *l. c. sect. 1. sub fin.* addatur Mylerus *cap. XVII. de principibus & statibus* Imperii §. 11. ubi ex Baldo: *sic vero est, quod per se validum est, plus roboris adquirit.*

XII. Vereor, ne sint hæc prolixiora, in confirmationibus regiis & Imperatoriis: pergendum jam erit ad principes & illustres in Imperio, qui sæpius ipsi confirmant pacta à se inita. Vocantur inde *pacta jurata*, de quibus præter allata jam supra, in *nomologia ordinum Imperii cap. IX.* conferendus est Mylerus ab Ehrenbach. Quanta sit vis illorum, nemo

nemo ignorat, qui obligationem intelligit, conceptam per nomen divinum. Illud heic potissimum urgent, an inter illustres opus sit jurejurando, ad pacta sua confirmanda? Ratio dubitandi est, quia fides harum personarum exuberat, & sic ipsas promissioni simplici relinquendas esse putant. Verum ubi vel ex consvetudine recepta, vel sua sponte, ad majus robur conciliandum pactis, jurant, non opus est hac dubitatione. Ita in actis controversæ successionis, wegen Pfaltz Veldentz und Lützelstein *num. IV. p. m. 141.* Wir Georg und Ruprecht beede Pfaltzgraven bey Rhein ꝛc. bestätigen und confirmiren diesen Verziegk, wie vor lautet, in der allerbesten Weise, Form und Gestalt, so das, Vermöge gemeiner geistlichen und weltlichen geschriebenen Rechten, und sonderlich nach Gewohnheit dieses Fürstenthums beschehen kan, soll oder mag ꝛc. und gereden darauf bey unsern Fürstlichen Würden, wahren Worten, und bey denen Pflichten, so Unseren vorgethanen Verziegk einverleibet ꝛc. Quæ verba, cum jurijurando sint æqualia, propter obligationem suam porro considerari debent, ratione præsertim effectus. Hic vero duplex adparet, quoties promissioni in se validæ accedit jurisjurandi religio,

 Neque

Neque enim tenetur solum promissor, ex capite præstandæ fidei, sed ex capite pariter non violandi nominis Divini. Dn. Werlhof. §. *XXIII. de pactis liberarum gentium.* In casu ætatis imperfectæ, apud illustrem, neque tutor admittitur, neque curator, si forte confirmationem præstare velit. Georg. Everhardi *in consf. ibid. qu. X. n. 120.* Es soll auch vielgemeldter Hertzog, so er aus den unterjährigen zu seinem rechten Alter kommen wird, das alles gebührlicher massen confirmiren und bestätigen. &c. Pœna sæpius adjici solet confirmationi huic juratæ. Generalis continetur in ordinatione Nobilitatis Franconicæ, *parte I. tit. 12*, de promissione, sub fide nobilitatis, & honoris publici, aut etiam de sola promissione honesta, wenn einer von der Ritterschafft bey wahren Worten darschlägt, zusaget, und verspricht, quod nimirum immemor promissi, aut pacti, debeat in senatu ordinis admoneri: ubi autem contumax adhuc, nec pacta servare velit, auf solchen Fall sey er wegen seines verweißlichen Erzeigens und beharrlicher Widersetzlichkeit, selbiger Versammlung und Gemeinschafft gäntzlich auszuschliessen. Major vis est in articulo unionis & correspondentiæ XI, sicut eam vocabant superiori bello tricennali: quam comites

tes

tes in scamno Franconico expresserunt: Da solcher zwar unverhoffende Fall sich zutragen würde, soll alsdann ein solcher tanquam proditor ac traditor collegii eliminiret, ja da durch sein feindlich Beginnen dem löblichen Correspondenz Collegio grosser Schaden zuwüchse rc. sollen hiermit seine Güter in eum eventum dem collegio afficiret seyn. Præter confirmationem Cæsaream, ad quam sese articulo sequenti obstrinxerunt impetrandam, addunt propriam sub finem: Welches alles, wie obgeschrieben stehet, wahr, stät, fest und unverbrüchlich zu halten, auch vor den obgesetzten Straffen sich besten Fleisses zu hüten, wir hernach unterschriebene Graven und Herren mit Mund und Hand aufrecht und redlich, bey unsern Grävlichen Ehren, wahren Worten, Treuen, und Glauben zugesagt rc.

XIII. Post confirmationes illustrium, in pactis & caussis propriis, erga se invicem, sequuntur aliæ, quas indulgent sibi subjectis, atque civibus, jure sublimi territoriali. Hugo *cap. 2. de statu region. in Germ. §. 9.* hoc, inquit, tam universale & amplum est, ut trahere aliquid è summa potestate videatur. Unde & quomodo illud sublime jus adepti sint, non quærimus in præsenti: quia, de

consensu publico & communi, satis esse putamus, quod illud habeant. Qui breviter concludunt in hac re, ita ajunt: potestas post Imperatoriam summa, in omnes territorio subjectos, vel ex concessione majestatis, vel præscriptione, itemque ex oblatione spontanea, aliisve modis quaesita est. Jam vero ex hoc fonte confirmationes pactorum, ac similium negotiorum, optime derivantur. Etenim si ordinationes ac statuta; quae pro lege valent, condere possunt, neque opus habent circa eadem confirmatione alterius: illustris Dn. Rhetius *in proœm. comment. feud. n. 58. & sequ.* quidni & actus civiles, eosque honestos, & juri non adversos, confirmare possent? Verum non dubitandum est de certis, quod id sit admodum incivile. Argentoratenses *tom. 1. conf. XVII. n. 18.* cum schola prudentum concludunt universaliter: *confirmatio* pactorum ac transactionum est *symbolum superioritatis evidens.* Quaestio heic erat, de pacto quodam comitis vasalli in terris Saxonicis, & in curia feudali confirmato. Neque enim aliunde lucidior & efficacior decidendi ratio petitur, quam ex familiae cujusque pactis inter se conventis, & à domino confirmatis. Dn. Schilterus, in responso collegii juridici Argentoratensis, *in supplem. ad cap.*

CIII.

CIII. juris feudal. Alem.p. 468. quamvis casum ibi proponat, de confirmatione electoris Palatini, qui non ut dominus confirmavit pactum, inter Ludovicum comitem de Lichtenberg, & filias ejusdem, de successione futura, sed tanquam mediator, & absentis per Italiam Friderici III. Imperat. vicarius. Quando autem de *transactione confirmatoria* statuitur, quod sit ens rationis civile, sive quod non sit, nec esse possit, ex ratione addita: quod transactio, per essentiam suam, non sit de re certa & confirmanda, sed de re litigiosa ac dubia, sive controversa ex parte ejus, qui jus aliquod prætendit: ibi breviter habendum, transactionis vires quidem non porrigi, ad parem facultatem, quam habet confirmatio superioris: id tamen haut negandum, quod si rem litigiosam & incertam partes composuerunt in transactione, res emergat certa, vera, atque indubitata, quæ per confirmationem omnino majus robur adquirit. Ubi contra explicatur transactio confirmatoria per confirmationem ipsam, nec superioris in hac præstanda desideratur auctoritas, ibi adparet utique contradictio in adjecto. Memorabilis porro est unio comitum Stolbergensium, Schwarzburgicorum, & Honsteinensium, quam describit Spenerus, in parte speciali operis

peris Heraldici, *lib. III. cap. 51. §. 18.* quamque confirmarunt domini, inprimis è domo Saxonica Augustus elector, quantum ejus intererat. Exemplum pacti, à domino confirmati, quo in familia nobili omnia, præsentia & futura bona, per naturam suam allodialia, feudalia debent esse inposterum B. Struvius ex collegio juridico hujus academiæ suppeditat, *cap. VII. Syntagm. Feud. aphor. X. n. 11.* Similem confirmationis formulam supra jam proposuimus, in modo petendi. Plura sunt passim obvia, neque heic repetenda cumulatius.

XIV. Quemadmodum igitur cum superioritate jus confirmandi pacta cohæret intime, ita pariter solet id non tantum exerceri ab ipsis principibus ac statibus, sed exemplo ejusdem impetratæ à summa potestate, aliis quoque conceditur magistratibus, qui sunt ordinarii, & respectu petentium superiores, *arg. l. 59. C. de decur.* Neque sit interest, an princeps ipse, comes aut status Imperii, superioritatem in territorio habens, an director aut præses collegii, cui data est potestas, nomine principis tale pactum confirmet: quare & sub nomine præscripto electorum ac principum emanant plerumque. Ita novimus, conventionem super fundatione, einer milden Stifftung, inter coheredes, qui

qui ex voluntate testatoris, certum conferre atque solvere debebant stipendium, à præside consistorii supremi, in electoratu Saxonico, subscriptam & confirmatam fuisse. Verba huc facientia sunt ista: Von GOttes Gnaden Wir rc. thun hiemit kund, daß Wir auf unterthäniges Ansuchen Sixti &c. hinterlassener Erben vorstehende, und unterm Dato den 20. Novembris 1679. aufgerichtete Fundation, aus hoher Landes-Fürstlicher Macht und Gewalt hiermit und in Krafft dieses gnädigst confirmiren, und wollen, daß derselben in allen Puncten und Clausuln gebührend nachgelebet, und wenn künfftig von denen Collatoribus jemand abgehen sollte, solches und an wem die Collatur kommen, an unser Ober-Consistorium jederzeit berichtet werde, jedoch Uns und Unsern Nachkommen, auch sonst männiglich an seinen Rechten ohne Schaden; Urkündlich mit Unsers Ober-Consistorii Insiegel besiegelt, und gegeben zu Dreßden den 11. Junii 1680. Addatur Carpzovius *I. Jurisprud. consistor. tit. 1. def. 12. n. 12.* De Clausula, Uns und sonst männiglich ohne Schaden, Brunnemannus *cons. LXVI. n. 14. & seqq.* Inanis adeo dubitatio quorundam intelligitur, qui contra vires ejusmodi confirmationis, ex solo contradicendi

N studio,

ſtudio, excipere volunt: quaſi ſub- & obreptitie impetrata fuerit. Quamvis cum diſcrimine aliquo ſtatuendum ſit, aliter in caſu privilegii confirmati, aliter in pacto confirmato. Illud contra leges communes excipit, ac tuetur velut eum, qui impetravit: hoc non contra juris communis tenorem factum, à ſuperiore confirmatur facillime. Illud quia diſpenſationem contra leges involvit, non niſi à legislatoria poteſtate confirmatur, quam non habent miniſtri & conſiliarii. Mevius *lib. VI. deciſ. CCCCXX.* hoc ex ordinatione publica confirmatur ab iis, qui conſtituti ſunt à principe, ut juſtitiam adminiſtrent, & jura reddant omnibus. Immo ſi ordinarius judex, poſt factam petitionem confirmationis, in pacto quod legibus & bonis moribus non repugnat, illam aut protrahat, aut prorſus deneget, officium ſuum non ſequitur. Mollerus *P. 2. conſt. 23. n. 14.* Carpzovius, ad *eandem conſtitutionem, def. 23.*

XV. Superſunt caſus, in quibus propter diverſam ſuperioris auctoritatem, non conſtat ſemper, quis præſtare debeat confirmationem. Exemplo ſit pactum inter emphyteutam & alium, de bonis emphyteuticis, atque cenſiticis. Heic vero novimus, concurrere ſæpius cum domino emphy-

emphytevseos, judicem ordinarium: ubi quæritur, an hic vel ille confirmet pactum, de alienatione conceptum? Rauchbar. *part. I. quæst. XXIV. n. 34.* majori atque priori interpretum parti tribuit, quod bona emphytevtica, & censitica, sine consensu & adprobatione, id est, sine confirmatione domini directi, possint alienari. Quæ subjungit, ibidem conferri possunt. Ad hanc vero sententiam stabiliendam pertinet inprimis *l. fin. C. de jure emphytevt.* Ad lites utrinque evitandas, tam ex parte judicis ordinarii, quam directi domini, in ordinatione constituit processus Saxo *tit. 46.* Würde sichs auch zutragen, daß in bonis emphytevticis oder censiticis der dominus directus nicht zugleich Gerichts-Herr wäre, soll zu Erlangung einer beständigen Hypothec des Lehn- und Gerichts-Herrn Consens oder Confirmation zugleich erhoben werden. Zieglerus ibi rationem addit: quia utrobique superioritas aliqua domino pristino manet: propter quam consensus ex utraque parte requirendus est. Dn. Stryckius, ad majorem securitatem, in terris, ubi hæc non obtinet constitutio, ita consulit de jure communi *Sect. 2. de cautel. contract. cap. IX. §. 38.* Sollte auch der Zinßmann das Erbzinßguth verkauffen, oder sonst auf

N 2 andere

andere Art, wie es immer geschehen kan, vermissen wollen, soll er solches anderer Gestalt nicht befugt seyn, als wenn er dasselbe vorhero dem Domino offeriret, oder dessen Einwilligung erhalten, 2c.. Idem sentiendum, quoties in hoc negotio præstat confirmationem inferior, licet concurrat alter, qui superiorem habet. Auctores in hanc rem præcipui sunt Colerus de processibus executivis *part. 2. cap. 1. n. 138.* Zangerus *part. 3. de exception. cap. 25. n. 85.* Berlichius *part. 2. conclus. 29. n. 69.* Plura de inferiorum, itemque de temporis, ac mortis confirmatione non addimus, ad finem præsentis tractationis perrecturi.

CAPVT IV. ET VLTIMVM.
DE
CAVSSIS RELIQVIS, EFFECTV, ATQVE CONTRARIIS CONFIRMATIONIS PACTORVM.

I.

Sub manu excrescit sylva, quam longe minorem ab initio videamus, cum huic argumento explicando manum admoveremus. Nemo in deteriorem

riorem

riorem partem accipiet, si ea quæ restant in compendio describamus. Materia pactorum, & quæ similia putantur hisce, primo loco occurrunt. Hæc enim inter caussas internas prius observari debet, quam de forma agatur: quia hæc τὸ εἶδος δέχεσθαι πεφυκεῖα, sive apta est ad formam suscipiendam. Zeidlerus cum Eustratio *ad 2. posterior. analyt. cap. 5. §. 9.* In materia vero pactorum ideo breviores erimus, quia tot alii, qui de pactis egerunt, illam satis abunde diduxerunt. Borcholten. *cap. V. de pact. in pr.* generaliter docet, quod licitum sit pacisci de omnibus rebus privatis, non autem de jure publico. Alii sic enunciant cum Ulpiano: publico juri non derogatur pactis privatorum. Plura habes apud Petrum Fabrum *in notis ad l. 45. de R. I. p. m. 198.* & apud Doctores passim. Nos vix tangit in materia pactorum hoc dogma, quia ita adplicamus: non potest mutari jus publicum, ex pactis aliorum, qui nullo gaudent jure legis condendæ, interim tamen pacisci de rebus possunt, quæ sunt juris publici. Exempla jam antea regum ac principum attulimus. Pauca sunt alia hujus loci, quæ ab aliis omittuntur. Sic pacta de futura successione à Romanis nunquam probata legimus, quamvis apud Germanos, bona fide inita, materiam præ-

buerint superioribus, ad illa confirmanda. Videntur quidem Romani à rigore hoc recessisse, quando admiserunt donationem omnium bonorum mortis caussa: sed hæc ipsa conventionem quoque includit. Schilterus *ad cap. XII. jur. feud. Alem.* §. *XI.* Conferatur Wibelius *de contractibus mulierum cap. IV. n. 52. & seqq.* Quis in Romanis scriptoribus tam ignarus erit, ut ne recordetur, *condicta* sæpius pro *pactis conventis*, & *condicere* pro *pacisci* usurpari. Cludius sane, in commentariis, ad *lib. XII. & XIII. ff. de condictionibus*, & quidem *p. 15. in procemio* ibidem, hæc eleganter proponit. Et nisi fallimur, alibi quoque pactorum & contractuum affinitatem demonstravimus. De fideicommissis familiarum, pacto constitutis. Knipschild. *cap. VI.* von Stamm-Gütern *num. 31.* Stiernius *tit. 2. relationum & votorum* de fideicommissis, à nobilibus familiæ conservandæ caussa relictis: quæ utplurimum pactis fieri solere docet novissime Ringlerus *cap. 2. de pactis successoriis* §. *13.* qualis autem materia sint confirmationis, tradit Knipschild. *eod. cap. n. 245.* De feudis Westphaliæ comitum, & investituris, quod ad pacta & federa in iisdem attinet, consulatur Warem. de Ehrenberg. *lib. 1. meditam. pro feder. cap. 3. n. 16.* Ex

jure

jure oblationis hæc pacta supeesse videntur, quæque ad investituram primam exiguntur accuratissime. Num vero ita recte sentiat Goldastus, *IV. de Regno Boh. cap. 1. §. 1. in annotat.* quasi comitis Culenburgi & Styrumbi, ex hac opinione & libertate paciscendi, federatis Belgis accesserint, ipse & cum eo plures viderint, qui talia litteris consignarunt. Plura nec in materia addo.

II. Circa modum confirmandi pacta itidem prolixiores non erimus. Prudentiæ civilis auctores sub hoc ipsam quoque formam non raro exprimunt, itemque alias qualitates, ac requisita. Kœppen. *conf. III. n. 18. & seqq.* Alii huc referunt pariter solennitates. Si enim forma dat esse rei, per vulgatam regulam, & res consistere nequit sine illa, hinc ad solennitates non male concludunt: quod hisce deficientibus ipsa etiam res corruat, maxime si à lege sint præscriptæ: quia tunc formam negotii substantialem continent. *Gloss. & Doctores ad l. 9. §. 3. ff. ad exhib.* Barbosa *in thesauro, hac voce n. 1.* Sic in pactis & conventionibus hypothecariis, per certas Germaniæ provincias requiritur, ut in judiciis modo solenni confirmentur. Lindenspuhr. *ad ordin. polit. VVurtenberg. p. 436.* De renunciationibus jam supra notavimus ex Giphanio,

nio, quod cum pactis conveniant. Atqui mulier non valide renunciat juri pro se introducto, nisi in loco judicii. Carpzovius *P. 2. constit. XVI. defin. 18.* Da des Weibes Renunciation nicht vor dem Rath und Gerichten des Ortes, sondern in des damahls regierenden Bürgemeisters Wohnstuben geschehen; So mag angezogene Renunciation für beständig nicht geachtet werden. Conferatur Wibel. cap. V. de contract. mulier. num. 134. vom Angeloben an Gerichts-Stab: quo ipso firmatur satis pactum, ex solennitate requisita. Qui enim ita renunciat, *jus suum perdit, & alienum corroborat.* Berlich. *decis. LXVII. obs. 1. n. 18.* Plura de insinuatione attulimus, in capite de his, qui petunt confirmationem. Hac autem legitime facta, superior de paciscentium consensu, & aliorum præterea, quorum interest, quippe de jure consentire tenentur, certus esse debet, ne quid contra pacti terminos, & solennia permittatur. Simoncellus *1. de decret. tit. 1. n. 68.* aut nullitas hinc turpiter existere incipiat. VVibel. *cap. III. de contract. mulier. paragr. VI. n. 7. & seqq.* in speciali præsertim confirmatione, quæ ex certa scientia procedit, & cognitionem requirit. Mevius *parte I. decis. VI.* Neque sic ad falsa narrata, aut propter intempesti-

vam

vam gratiam, itemque supplicationem, valent in speciali formulæ, & clausulæ, *plenitudinis potestatis, certæque scientiæ:* quamvis alias confirmatio Cæsaris expleat omnem solennitatis defectum. Treutlerus *Conf. XXXVII. n. 68.* Zasius pater, non filius Joh. Ulricus, sicut aliqui volunt, *lib. 2. conf. X. n. 13*, clausulæ, *inquit*, ejusmodi hoc tempore velut *ex styli consvetudine*, in omnibus prope Imperialibus litteris, impertinenter sæpe adscribi consveverunt: quare tanta non est vis in illis. Neque obstat, quod tenor inseratur pactorum. Si enim non conveniunt verba cum veritate, & consensu utriusque paciscentis, sive cum tenore pactorum, & serie totius rei gestæ, nocere illa debent minime. Menoch. *conf. XCI. n. 38.* Item *CXLVII. n. 27.* Immo princeps, de injuria certior non factus, quæ alteri ex hac nasci confirmatione poterat, valide non confirmat. Brunorus à Sole *in voc.* confirmatio *n. 2. p. 258.* Ex adversa igitur parte, si nullius intersit, & hoc probetur satis à paciscentibus, confirmatio omni caret vitio, & altero absente expediri potest. Gylmannus *tom. 3. symphor. verb.* citatio §. *nunquam.* Formula inde hæc est: Haben nach genugsam eingezogener Bewandnüß der Sachen, auch wohlerkundigten Defecten,

 Unsere

Unsere Auctorität und Confirmation dergestalt interponiret, daß Wir aus wohlbedachtem Muth, eigener Bewegung, guten Wissenschafft und Wohlbewust, alle und jede Obstacula, Defecte und Hindernüsse, Krafft tragender Landes-Fürstlichen hohen Gewalt, hiermit und durch dieses, gäntzlichen aufgehoben, cassiret und aboliret, dagegen aber alle und jede abgefaste vorbenannte Handlungen, Pacta und Verträge, aus angezogenen Ursachen, als gültig, Rechts-kräfftig, und wohlgeschlossen erkläret, æstimiret und gesprochen. Kuntschius §. *67. de confirmat. contract.* conferantur, quæ *capite antecedenti* §. *X.* attulimus. Hisce enim formalibus rite observatis, patet stàtim, an universalis confirmatio sit facta, an specialis, de qua divisione in principio dictum.

III. De subscriptione, & sigillo confirmationis, non dubitatur, quin huc eadem pertineant. Sunt, qui subscriptionem formaliter confirmare ajunt, quod hæc in consensu potissimum consistat: consensus autem ex nulla re magis, quam ex subscriptione deprehendatur. Verum Modestinus Pistor. *conf. XXXVII. n. 7. vol. 1.* præclare ostendit, quod subscriptio & confirmatio, formaliter non sint idem, sed quod hæc ab illa differat omnino.

no. Subſcriptio, inquit, fere importat conſenſum, de iis, quæ præcedunt: confirmatio autem ſolum præſtat auctoritatem: item: alius ſubſcribit, tanquam principalis inter paciſcentes, alius ſubſcribit, ut practici loquuntur, auctorizans vel ſolennizans. Conf. *Dd. ad l. fin. C. plus valere quod agitur.* Hinc formula: Gnädiger Herrſchafft an Dero Oberbothmäßigkeit, mir und männiglich an ſeinen Rechten ohne Schaden und Nachtheil, non ad ſubſcribentem & paciſcentem, ſed ad ſubſcribentem & confirmantem pertinet. De pacto feudali, & expectativa, à domino in alium translata, Kœppen. agit *conſ. III. n. 37.* ubi de ſubſcriptione in expectativa pronunciat: Ob nun wohl dieſe Proviſio eine ſolche Solennität nicht bedarff, cum pactum feudale non requirat neceſſario certam ſcripturæ ſolennitatem, per ea, quæ tradit Baldus *in rubr. C. de condict. ex his.* Dieweil aber gleichwohl der Lehn-Herr darinnen aſſeriret, daß er dieſe Verſchreibung mit eigener Hand unterſchrieben, als läßt ſich es anſehen, daß die Subſcriptio pro forma eſſentiali hier nöthig, und derowegen wohl kan geſaget werden, ſcripturam abſque ſubſcriptione nihil prodeſſe. Niſi fallor, heic præcipue reſpiciendum eſt ad id, quod in cu-

ria obtinet. Pruckmannus casum exhibet, de pactis dotalibus confirmatis, ubi non adparebat electoris Brandenburgensis manus, sed sigillum tantum, & addit: fateor pacta à nemine subscripta esse: quoniam hoc ita stylus tempore electoris Johannis Georgii ferebat. Interim satis est, solennitates eas, quas curiæ stylus deposcebat, in actus alicujus celebratione, intervenisse. *cons. XVIII. n. 118. vol. 2.* Add. Brunnemannus *cons. LXXIX. n. 46. seqq.* ex Riminaldo, Klockio atque allegatis id probat amplius. Commune dogma est: signum regalem regium, ac ducale instrumentum facit publicum, sive vim probandi illi plenissimam conciliat. Stuckius *cons. IV. n. 29.* Prolixius in hoc argumento est Hœpingk, *cap. XI. de jure sigillor. n. 11.* ubi explicat regulam doctorum: quando actus sigillationem requirit, tunc sigillum est de forma. Conf. *cap. XV. n. 196.* ut adeo tota hæc res ex stylo curiæ æstimari debeat. Concludunt hinc porro: quicunque actus, in hac vel illa curia, in hoc vel illo negotio, subscriptionem ac sigillationem pro forma requirit, in eo unum pro altero usurpari nequit. Sic Mylerus *cap. VI. nomolog. §. 22.* de forma confirmandi pacti aliam suggerit conclusionem: in quo casu pactum, ad solennitatem

actus,

actus, pro forma & substantia, jusjurandum exigit, in eo per hoc æquipollens adimpleri non debet. Memor quidem sum, me hujus quæstionis uberiorem promisisse explicationem, sed properantibus etiam duces ac doctores allegati sufficiunt. De arrha confirmationis, ac securitatis majoris caussa tradita, Dn. Schilterus *exerc. XXX. ad ff.* §.33.

IV. Caussam finalem cum forma non raro coincidere volunt. Nos pauca ex instituto nostro proferemus. Qui petunt confirmationem, id sibi proponunt, ut e. gr. lite emergente peremtoriam opponere ex transactione confirmata, aut efficacem probationem ex pacto habere possint, quod à superiore confirmatum est. Qui confirmant, ex officio & auctoritate publica obstricti, prospicere debent, ne ex eadem caussa probationes intercidant. *l. 40. ff. ad L. Aquil.* Faber *lib. III. Cod. Sabaud. tit. XXII. defin. 14. num. 5.* Ita petens finem quoque habet, ut reverentiam præstet & obsequium superiori: confirmans autem indulget consensum & auctoritatem, ut recognoscant petentes jus ac prærogativam domini. Kœppen. *dec. I. enucl. 2. n. 35.* Aliam caussam adsignavimus alibi, cur pacta, quæ alienationem immobilium comprehen-

 dunt,

dunt, ad notitiam & auctoritatem judicis referri debeant. Circa effectum adjungimus sequentia: quod licet consensus, ratificatio, confirmatio differant in modo, in effectu tamen conveniant. Kœppen. *consf. III. n. 27.* Pactum de vendendo, jurejurando confirmatum, an cum effectu debeat intelligi, & pro ipsa venditione haberi, disquirit Berlich. *decis. CXLIV.* De effectu pactorum, in controversiis feudalibus, respondent Argentoratenses apud Schilterum, *in supplem. ad cap. CIII. juris feudal. Alem. p. 468.* In publicis legibus, & jure gentium, exempla sunt admodum trita: nisi quod de vero effectu dubitetur subinde, propter qualitates deficientes. In magistratuum confirmationibus universalem doctrinam proponit Carpzovius *lib. V. resp. LIV.* itemque *LV.* quod non debeant esse otiosæ, id est, quod cum effectu semper accipi debeant. Hinc neque, contra tale pactum, exceptio doli aut metus locum invenit: immo removetur commune præsidium, quod sibi pollicentur *ex l. 2. C. de rescind. vendit.* De transactione confirmata, ex repetitione, sive geminatione, Faber *lib. IV. C. tit.* XXX. *def. 23.* de jurata Carpzovius *P. 2. const.* XXXV. *def. 1.* Brunnemannus ad *l. 77. §. fin. ff. ad SC. Trebell.* illustris Dn.

Wed-

VVedderkopf. *qu. 2. Imper. decis. dign.* cum pluribus ibidem allegatis. Præcipuus effectus noscitur in excludenda nullitate contra sententiam, qua de Gylmannus *tom. ult. sjmphor. part. 3. vot. 19, 7.* Inter affinia confirmationis non desunt ea, quæ à tempore & observantia pendent, sicut Natta *de pactis* hoc late docet: addatur Reusnerus *lib. I. cons. XIX. n. 51.* Sic in quibusdam provinciis obtinet paciscentium conventio, de condemnatione partium, si contra pacta conventa committant aliquid: quare & condemnatio ex hac libera partium consensione datur in voluntarios. Gylmann. *tom. 3. sjmphor. voc.* pacta *p. m. 243.*

V. Inter contraria notant regulam: *qui potest confirmare, ille quoque potest infirmare.* Assurgendum itaque esset ab inferioribus potestatibus ad superiores, quibus adscribenda est omnis auctoritas in magistratus, quamque exercent nomine superiorum. Verum nulla opus est probatione diffusa. Idem enim ille, qui circumventus est, ut confirmaret, post rei notitiam, vel ex lege, vel auctoritate propria, repetit statim, quæ liberaliter impertitus est. Casus est in jure Lubecensi *parte III. tit. IV. artic. 1.* Præter auctoritatem superioris restat paciscentium dissensus, si ma-

xime

xime non servantur ea, quæ pactis sunt comprehensa & confirmata: quippe nihil tam inimicum est naturæ & essentiæ pactorum, quam ex una parte recedere, & lucrum quærere suum, alterius vero damnum & incommodum. Materia dissensus hujus est quotidiana & vulgata. In publicis caussis non desunt exempla. Ipse adjungam protestationem contra confirmationem Imperatoriam, quam vir de his studiis optime meritus communicavit mecum: Sollte aber, vorgesetzter auch anderer erheblichen Motiven ungeachtet, ratione confirmationis einseitig was vorgangen seyn, so werden Ew. Käyserl. Majest. daß mit Vorbehalt des von mir jederzeit bezeigten und beständig continuirten Respectes gegen Dieselbe, ich meines Theils nicht agnosciren können, sondern zuförderst semel pro semper darwider, wie hiemit feyerlichst und eventualiter geschiehet, protestiren, hiermit alle Rechte und Befugnüsse, auch weitere Remonstration, sowohl bey Ew. Käyserl. Majest. als dem gesammten Heil. Römischen Reich, und wo sonst nöthig, nach gepflogener Conference mit meinem gantzen Hause, worzu jedoch in Eil nicht zu gelangen, neben allen denselben zustehenden Rechten, und Gerechtigkeiten, und anderer Noth-

Nothdürfftigkeiten, so mir und demselben auf ein und andere Wege zu statten kommen mögte, per expressum reserviren &c. Cum quibus longe plura adhuc conjungi poterant, si id ageretur in præsenti. Per summa ergo capita dissertationem concludimus, & reliqua, si DEUS voluerit, & nobis concesserit vires, alio tempore communicamus. Bene autem vale, Lector optime, & brevitati per extrema hæc rogatus, benivole ignosce.

SOLI DEO GLORIA.

NOBILISSIMO CONSULTISSIMOQUE

FRIDEM. POSNERO,

IN AULA ILLUSTRI TETTENBACHIANA SECRETARIO IUDICIALIUMQUE DIRECTORI,

S. D.

GEORGIUS SCHUBARTUS, D.



Misera hominum conditio est, quam in beato matris

P excef-

excessu satis cognoscere potuisti. Discesseras à nobis, non sine ingenti parentum gaudio: quod augebant plurium vota, & sinceræ acclamationes. Neque enim sunt adeo multi, in hac bonarum artium palæstra, qui ex domo sua felices prodeant, ac fata sibi benigniora experiantur. Intercedunt homines, qui nocent blandiendo. Sunt alii, qui commendant, & obsunt per laudes emendicatas. Alii placent undique, & qua possunt saltim parte insidiantur. Lubrica sic patet ad honores via, quam terunt pauci, sine virtutis experimento. Inter hos, nisi fallor, TV quoque eris, Vir amicissime, qui per negotia gesta didicisti, quales passim obvenerint homi-

homines. Rident cum plorant, ac plorando sæpius risum excutiunt melioribus. Non curas ejusmodi genus mortalium, ad optima quæque natus, & institutus. Prava indoles non agit radices, nisi apud simillimos. Quæ autem cum successu peragunt, velut ex casu peregisse videntur. Accedit ad insignem doctrinam & virtutem TVAM præclara laus, & honesta opinio, quam de TE conceperunt singuli, quibus innotuisti. In patria sane academia plerosque doctores audivisti, eosque fautores habes. Verum neque horum elogia desideras: quia TIBI sufficis ipsi, & quotidie testaris, in actu rerum, quæ bona DEVS concesserit, quamque illa recte ad

civitatem transtuleris. Præſens argumentum, ex vario jure deductum, oſtendit raras ingenii dotes: quas deinceps majores deprehendent, quicunque ad majora TE vocabunt. Feliciter agere cœpiſti negotia; poſtquam ſtudia perduxiſti ad finem, & porro feliciora tractabis omnia. Perrexiſti in flore ætatis ad difficiliora: ſed olim ſenties, quod cumulentur ex hiſce initiis vera honoris argumenta. Hæc precor ſollicite, ac TE ſemper optime valere jubeo. Scrib. in Academia Jenenſi, Pridie Kal. IVL.
cIɔ Iɔ c XCVI.

